DE MYSTERIIS IN RELIGIONE CHRISTIANA.

SCRIPSIT

Dr. J. BOELES.

GRONINGAE,
Apud C. M. VAN BOLHUIS HOITSEMA.
1843.

Ὡς γὰρ ὁ πατὴρ βούλεται παιδεύειν τὰ τέκνα, καὶ ἑκάστῃ ἡλικίᾳ ἁρμοζόμενος προβαίνει τῇ παιδείᾳ, καὶ οὐκ ἴσως τὸ μικρὸν βρέφος παιδεύει τῷ μειρακίῳ, οὐδὲ τὸ μειράκιον ὡσαύτως τῷ νεανίσκῳ, οὐδὲ τὸν νεανίαν τῷ τελείῳ ἀνδρί.... οὕτως καὶ ὁ Κύριος ἑξῆς ἐνομοθέτει ἑκάστῃ γενεᾷ τὰ ἁρμόζοντα. Ἐκείνους μὲν γὰρ φόβῳ ἐσωφρόνιζεν, ὡς παιδίοις μικροῖς διαλεγόμενος, καὶ ἀγνοοῦσι τὴν δύναμιν τοῦ ἁγίου πνεύματος· τοὺς δὲ τελείους τελείων ἠξίου μυστηρίων.

EPIPHANIUS.

Quod primum mihi fuit consilium, hancce commentationem ea tantum de causa in lucem mittendi, ut summos in Theologia honores obtinerem, id mox mutavi, et rogatu typothetae et cogitatione ductus, forte nonnullos fore, quibus argumentum a me tractatum placeret adeoque labor in id a me impensus aliquantum utilis esse posset. Quod ut fiat,

adeoque mea quoque opera ipsum verum magis provehatur, et Jesus Christus, δι᾽ οὗ ἡ ἀλήθεια ἐγένετο, plenius cognoscatur, faxit Deus Optimus Maximus!

INTROITUS.

Perdifficile hoc esse, quod suscepimus, negotium, disserendi *de mysteriis in religione Christiana*, nemo sane diffitebitur. Sive enim opinionum de his mysteriis varietatem cogitemus, sive hujus varietatis originem, sive laborem saepe gravem cum illam varietatem tum hanc ejus originem ex ipsis fontibus eruendi, sive reputemus, neminem fere huc usque rei explicandae viam stravisse ac tantam ultimis adhuc temporibus adesse virorum doctorum de ipsa re dissensionem, ut alii rem laetam ducant, mysteria quotidie magis desinere esse mysteria, alii haecce acriter defendant, haec videlicet habentes signa patefactionis divinae: — haec igitur cogitantes non facile fugiet rei a nobis susceptae gravitas. — Simul tamen argumentum, quod tractamus, sese lectoribus probabit. Disserere enim volentes *de mysteriis in religione Christiana*, primum inquirere in animum induximus in sententiam Jesu Christi ejusque Apostolorum, quae inquisitio fructus gratos ac jucundos Theologo verum amanti non

potest non proferre. Deinde a nobis indagabitur Ecclesiae totius Christianae hos subsecutae sententia, quod sane maximi esse momenti infitias ibit nemo, qui secum reputaverit, necesse nobis esse, ut cognoscamus, quam varie de hac re senserint viri doctrinae ac pietatis laude celebrati, numero multi. — Huic sententiae indagatae succedet disquisitio de origine varietatis. Sponte enim liquet, cognitionem effectuum tunc maximae nobis esse utilitatis, quando etiam expositae sint horum effectuum causae: nisi enim has exponamus, operam et oleum fere perdiderimus, absolutâ quidem operis parte alterâ, rem ita esse, relictâ vero alterâ eâque graviore, quare ita sit. — Ultimo loco abesse non poterit inquisitio, quosnam fructus afferre videatur totum hoc negotium ipsi Theologiae, sive quodnam sit pretium totius loci in re dogmaticâ. Nisi enim ad hanc quaestionem bene apteque responderi atque adeo ipsum verum, quod in Theologia unice sectandum, provehi possit, omnes paene labores frustra exantlatos dicamus. Ita vero provinciam nostram suscipientes, ejus bene administrandae gravitatem et ipsi quidem persentimus et aliis sentiendam exhibemus; at vero auguramus etiam ac videmus fructus cum ex Codicis Sacri interpretatione, tum ex historiae Ecclesiae Christianae inquisitione, tum denique ex ipsa rei aestimatione, ad nos redundaturos tam egregios, ut hi nobis sint stimuli ad opus suscipiendum incitantes ac ad conandum quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Commentationem inscripsimus *de mysteriis* IN RELIGIONE CHRISTIANA, ut ultimis his verbis indicaremus,

inquisitionem ab omni parte explanatam in vocis *μυστηρίου* originem ac notionem, ejusque usum multifarium, tum apud profanos, qui dicuntur, auctores, tum apud Christianos occurrentem, a nobis proferendam non esse, sed nos tantum acturos de iis rebus, quae *pertinentes ad religionem Christianam* a Jesu Apostolisque atque ab Ecclesia Christiana universe dicta sunt *mysteria*. Igitur pauca tantum, quae illustrando argumento inservire posse videantur, de ipsius vocis apud Graecos origine ac notione, similiumque vocum apud Hebraeos usu, hic in Introitu apponere lubet.

Μυστήριον derivatur a LENNEPIO et SCHEIDIO (1) a verbo *μύω*, quod significat *claudo*, specialiter ocula et os, *premo*, *sileo*, *celo*, ita ut sit *μυστήριον* id *quod celatur*, *siletur*, *arcanum est* sive *occultum*: alii, uti e. g. MINTERT (2), derivant a Hebraico מסתר, quod magis ob vocabulorum similitudinem, et studium verba omnia e lingua sancta derivandi factum esse videtur, quam ob rationes etymologicas. Rectius videntur agere SCAPULA (3) et SCHNEIDER (4), qui *μυστήριον* derivant a *μυέω*, *sacris initiari*, et hoc rursum factum fuisse putant e *μύω*, ita ut *μυστήρια* sint ipsa illa sacra, quibus homines initientur. Talem et derivationem jam probavit EUSTATHIUS (5), dicens: *ἐκ δὲ τοῦ μύειν ἔστι καὶ τὸ μυεῖν, ἱερὰ λέξις αὕτη.*

Praecipua hujus vocis mentio fit in festis Graecorum, maxime in iis, quae Eleusi, sancta illa et augusta,

ubi initiantur gentes orarum ultimae,

uti apud Ciceronem est, peragebantur et erant in ho-

---

(1) *Etymol. Ling. Gr.* in voce I. 590.
(2) *Lex. Gr. Lat. in N. T.*
(3) *Lex. Gr. Lat.*
(4) *Griech.-Deutsch Wörterbuch.* 1819.
(5) In Hom. Il. *Ω.* 420.

norem Cereris et Proserpinae (1). *Μυστήρια* autem dicebantur sacra, quae in his festis peragebantur, eam ob causam, quod tantum initiatis liceret iis adesse eaque peragere, atque his illicitum esset, eorum, quae egerant aut viderant, vel quidquam aperire. *Μυστήρια ἐκλήθησαν*, dicit SUIDAS in voce, *παρὰ τοῦ τοὺς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα καὶ μηδενὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι· μύειν δέ ἐστι, τὸ κλείειν.* EUSTATHIUS l. l. habet *οἷς* (sc. *τῷ μύστῃ* et *τῇ μύστιδι*) *ἀνάγκη μύειν τὸ στόμα καὶ μὴ ἐκφαίνειν ἃ μεμύηνται.* Hinc jam satis vocis *μυστηρίου* origo et vocum *μύειν* et *μυεῖν* cognatio elucescit. — Summa cum religione haec sacra servabantur, ita ut is, qui horum sacrorum aliquid non initiatis revelasset, morte saepe plecteretur, qua ipsi Dii eum credebantur afficere. *Μυστήρια*, id est, *res arcanae*, igitur tantummodo erant iis, qui his sacris non initiati erant; ipsis vero initiatis res occultae et incognitae esse desierant. Recte ideo haec definivisse videntur Romani, dicentes: »*seclusa* sacra dicebantur, quae Graeci *mysteria* appellant" (2).

Ejusmodi verbum etiam Hebraica affert lingua, סוד, quod significat *arcanum*, quodque proprie accipiendum videtur de consilio, inter hos illosve capto, ac tantummodo iis, qui ceperunt, noto, aliis vero abscondito (3). Namque סוד significat etiam *pulvinar*, inde *consessum* et *deliberationem*. Radix יסד in Niphal significat *fundatum est*, *fulcivit se*, *innixus est* cubito, et praesertim de hominibus dicitur in lectulo recumbentibus, ad deliberandum et consilia capessen-

(1) Cf. universe Cl. J. VAN LIMBURG BROUWER, *Hist. de la Civilisation morale et religieuse des Grecs*, P. II. T. IV. p. 202 suivv.

(2) Ita FESTUS, in: FESTI *et* FLACCI, *de verborum significatione* L. XVII. ed. DACERII, 1700. p. 493. 10.

(3) V. Ps. LXXXIII. 4.

da (1). — Ita vocabulum סוד dicitur de iis, quae Deo tantummodo nota, caeteris abscondita sunt, Job. XV. 8, XXIX. 4. Ps. XXV. 14. Prov. III. 32, quibus in locis sequitur hanc ob causam vox אלוה vel יהוה. — De iis quae hominibus his illisve nota sunt, occurrit Prov. XI. 13. XXV. 9, ubi simul hoc patet, hanc vocem dici de re, quae non absolute, sed relative est occulta, id est, quae desinit esse res arcana et obtecta, simulatque aliis sit communicata (2).

Eadem notio inest Chaldaico רז (et Syriaco ܪܳܙܳܐ a ܪܙ *celavit*), quod probant nonnulla loca libri Daniëlis, quorum citasse sufficiat: II. 18. 19. 27. 28. 30. 47. IV. 6, in quibus sermo est de iis, quae homines latent, at vero simul ipsis aperiri ac ab ipsis cognosci possunt ope divinâ.

Vario modo vocabulum Hebraicum transtulerunt LXX: verba enim Ps. LXXXIII. 4 יערימו סוד verterunt κατεπανουργεύσαντο γνώμην (3), — verba Job. XV. 8 vertunt σύνταγμα, — XXIX. 4 ἐπισκοπήν, — Ps. XXV (XXIV). 14 κραταίωμα, — verba Prov. III. 32 ואת ישרים סודו, ἐν δὲ δικαίοις οὐ συνεδριάζει, — XI. 13 βουλὰς ἐν συνεδρίῳ (AQUILAE autem versio habet ἀπόῤῥητον, SYMMACHI μυστήριον), — XXV. 9 וסוד אחר אל תגל, μὴ καταφρόνει, — Am. III. 7 vertitur παιδείαν (a THEODORETO τὴν βουλήν). Chald. רז constanter vertitur μυστήριον, et, quando aperiantur haec, μυστήρια dicuntur ἀποκαλύπτεσθαι.

Porro de mysteriis notis faciendis (προσαγγέλλειν) sermo est 2 Macc. XIII. 21, de ἀποκαλύψει eorum,

---

(1) Cf. GESENIUS, *Lex. Hebr. et Chald.* in voce.
(2) Cf. et cum locis allatis Amos. III. 7.
(3) In versione Alexandrina: LXXXII. 3.

quae latent Sir. XXII. 22. XXVII. 16. Formula τὸ μυστήριον τῆς βουλῆς αὐτοῦ μετά τινος θεῖναι occurrit Judith. II. 2; — (1) quibus locis, uti et 2 Macc. XIII. 21 videtur esse notio *mysterii*: consilium inter hos illosve captum, adeoque aliis hanc ob causam incognitum, donec et his patefit. Sermo est Sap. II. 22 de τῷ γνῶναι μυστήρια Θεοῦ, quae haberi videntur consilia divina circa genus humanum, quae *mysteria* dicuntur, quia haec non intelligant, haec ignorent multi homines (2): — e contrario XIV. 15. 23 intelligi videntur *sacra arcana* (3).

Videmus ergo, universe μυστηρίοις significari *ea, quae latent*, specialiter *consilia abscondita* tum Dei, tum hominum, quae autem ἀποκαλύψει, vel eo quod illa noverint homines, abscondita esse desinunt. Etiam videmus iis intelligi *sacra arcana*.

Versio Nederlandica N. F. constanter vocem μυστήριον vertit *verborgenheid:* (4) — Versio Lutheri *Geheimniss* (quia autem 1 Cor. II. 7 jungit vocabula ἐν μυστηρίῳ cum voce ἀποκεκρυμμένην, ibi vertit *heimlich verborgene*, et 2 Thess. II. 7 μυστήριον ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας vertit: *es regel sich die Bosheit heimlich*). Versio Latina Vulgata μυστήριον vertit *mysterium* et *sacramentum* (quod posterius patet inspicientibus loca Eph. I. 9. III. 3. 9. V. 32. Col. I. 27. 1 Tim. III. 16. Ap. I. 20. XVII. 7).

Patres Latini promiscue fere usi sunt vocabulis *mysterium* et *sacramentum* (uti in opusculi parte secunda patebit); quod probat has, non modo in Vul-

(1) Cf. et Tob. XII. 7. 11.
(2) Coll. vss. 23, 24.
(3) Loca versionis Graecae citata sunt ex ed. L. BOS. 1709.
(4) Cf. TROMMIUS, *Concord. d. N. T.* in voce.

gata N. F. versione, vulgares esse Graecae vocis versiones. TERTULLIANUM si excipis, hunc usum promiscuum eo usque fere observabis, quo, inprimis a Scholasticis, notio *sacramenti*, Augustino jam usitata, peculiaris sanciretur, quae ideo alia fiebat ac prorsus diversa a notione *mysterii* (1).

---

(1) Cf. BRETSCHNEIDER, *Handb. der Dogm.* u. s. w. IITh. § 193 ff. 4ta edit. et de voce *sacramentum* inpr. ILLGEN's *Zeitsch. für die histor. Theologie.* VIII. II. p. 25—27.

PARS I.

DISQUISITIO; QUID EX JESU ET APOSTOLORUM SENTENTIA IN RELIGIONE CHRISTIANA SINT μυστήρια?

SECTIO I.

INQUIRITUR, QUID EX JESU SENTENTIA IN RELIGIONE CHRISTIANA SINT μυστήρια?

§ 1.

Una tantum vice Jesus *mysteriorum* mentionem fecit, scilicet quum, rogantibus discipulis aliisque qui circum illum erant (1), cur ad populum loqueretur parabolis solis, quas ipsis tamen explicare non recusaret (2), responderet: *ὅτι ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια* (sec. Marcum *τὸ μυστήριον*) *τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν* (sec. Marcum et Lucam *τοῦ Θεοῦ*), *ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται* (sec. Marcum *ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται*, sec. Lucam *τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς*) (3).

(1) Marc. IV. 10. (2) Matth. XIII. 10.

(3) Matth. XIII. 11. Marc. IV. 11. Luc. VIII. 10. In interpretatione sequimur inprimis Matthaei narrationem, quippe uberiorem.

Mirantibus igitur discipulis Jesus aperit, se ad populum alia quam parabolica ratione non posse loqui, quippe cui res nude proponi non possent; sed coram discipulis solis se plus agere posse, quandoquidem his datum esset cognosse τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. — Quod igitur caeteris nonnisi parabolarum usu significari et innui potius quam dici potuit, hoc discipuli cognosse poterant nude ac magis perfecte. *Γνῶναι* enim, uti saepius, hîc est *cognossem*, *cognitum habere*, cujus cognitionis initium est γιγνώσκειν, *noscere*, *leeren kennen*, uti Nostrates ajunt; — hujus igitur verbi perfectum est *nosse*, *cognosse*, *didicisse*, i. e. magis accurate, *melius* igitur *cognoscere* (1). Hujus autem rei facultas jam erat Apostolis caeterisque, qui huic sermoni aderant; nam Jesus diserte dicit: *vobis datum* EST, non *datur*, aut *dabitur olim*, sed plene, *datum est*.

Jam vero datum erat iis: cognosse τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, caeteris non erat. Μυστήριον vero τ. β. τ. ο. est, vel quod *absconditum est* aut *erat de regno coelorum*, vel *regnum coelorum*, quod totum quantum μυστήριον est aut erat, etiam his discipulis. Etenim genitivus est sine dubio genitivus objecti, quare, quoquomodo vertatur haecce formula, sensus saltem fere hic prodit: vos cognovistis id, quod absconditum est vel erat de regno coelorum; — quod et forsitan nobis, ulterius inquirentibus, patebit.

Prius enim quam plura de voce μυστήριον disquirimus, videndum est, quid sit illa βασιλεία τῶν οὐρανῶν, quae μυστήριον dicitur. Ipsum Euangelii Matt-

(1) Cf. WINER, *Gramm. d. N. Tlichen Sprachidioms*, p. 248, ed. 4tae, BRETSCHNEIDER, *Lex. in N. T.* in voce, ed. 3tia, et Marc. IV. 34b.

thaeani caput, in quo versamur, nos multarum rerum, huc pertinentium, jam certiores reddit, exhibens quippe collectionem parabolarum, quibus Jesus de industriâ regni coelorum naturam explicuit auditoribus, qui, parabolis non adhibitis, nihil de ea intellexissent. Sed jam ante has parabolas hujus *βασιλείας* injectam invenimus mentionem. Nam non modo ipse Jesus alibi dicitur *τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας* praedicasse (1); sed etiam Johannes Baptista ad emendationem moralem aequales excitare conatus est, maxime eo, quod appropinquare regnum coelorum nuntiaret (2). Quid? quod uterque in hujus nominis usu sequeretur Prophetas Veteris Foederis, de futuris iisque melioribus populi Israëlitici temporibus tanquam *de regno*, *regno Divino*, *regno coelesti* locutos. Nos autem jam de hujus regni natura ex ipso, in quo versamur loco, breviter videamus.

Parabolâ hujus loci primâ, vs. 3—8, coll. 19—23, praecipue locutus est Servator de vario effectu, quem praeconium *τῆς βασιλείας* sit habiturum, et de causis hujus varii effectûs; regnum vero hoc jam his in terris praesens proponit, uti apparet ex vs. 21, 22, ac praesertim hoc urgeri vult, unumquemque animo puro hoc praeconium suscipientem maximis esse fruiturum fructibus, vs. 23.

Parabolâ alterâ, vs. 24—30, ante auditorum oculos ponit, civibus regni hujus continuo pugnam esse agendam cum hominibus malis; horum autem poenam, quamvis semper non sit matura, certissime tamen locum esse habituram; illorum autem sortem feliciorem esse futuram, malis quippe impedientibus

(1) Matth. IV. 23, IX. 35.
(2) Matth. III. 2. cll. 6.

tandem liberandorum. Conferri etiam merentur vs. 37—41, unde denuo, praesertim ex vs. 37, 38 apparet, Jesum hocce regnum ut hisce in terris jam praesens proponere.

Parabolâ grani sinapi, vs. 31, hocce regnum proponit e parvis quidem initiis oriundum, at, explicatione atque progressu suo, omnium omnino exspectationes superaturum, incrementa magna capturum, atque longe lateque propagandum. — Aliam rursum hujus regni vim proponit Jesus, vs. 33, adhibitâ parabolâ farinae fermentatae, qua nempe hujus regni efficaciam, externis quidem oculis non observandam, at in omnes omnino res ac ubivis terrarum, quo praedicetur ἡ βασιλεία τ. ο., agentem, indicat.

Parabolâ thesauri in agro absconditi, ac mercatoris margaritas quaerentis, vs. 44—46, eandem fere rem explicare vult, nempe omnibus omnino rebus atque thesauris anteponendum esse hoc regnum.

In hocce autem regno bonos malosque inter se esse junctos fere, at olim hos ab illis esse sejungendos, ac poenam justam subituros, indicat Jesus parabolâ retis, pisces varii generis recipientis, vs. 47—50.

Quae his parabolis Servator auditoribus de regno coelesti significavit, haec saltem nos docent: vel adesse regnum hoc, quod brevi affuturum Johannes jam affirmaverat, vel jamjam instare (1): atque adeo hoc regnum exstiturum esse his in terris et conditum iri per Jesum Christum, et jam revera adesse aliquatenus, uti patet, si conferimus Luc. XVII. 21, ubi Servator ipse Pharisaeis, ipsi forte illudentibus, ro-

(1) Verba Gr. enim utramque admittunt interpretationem, cf. C. X. 7.

gando, quandonam venturum esset *regnum Dei* (1), respondit: *ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν:* — hocce regnum indole sua esse debere regnum civium animo menteque bonorum, qua in re autem regnum hoc non uno ictu ab omni parte fini suo respondere potest, quum mali bonis aliquamdiu quam maxime intermisceantur, horumque omnium deinceps modo affutura sit separatio, qua malorum fiet sors miserrima, bonorum felicissima. Quare omnibus hominibus summa ope nitendum est, ut hoc unum, regnum coelorum, adipiscantur, quo quippe potiti, thesaurum maximum erunt adepti.

Qualis sit ille thesaurus et quaenam sint ea, quae optimis hujus regni civibus praestentur, indicat Servator alibi, inprimis iis locis, quibus inter se commutat *vitam aeternam* et *regnum coelorum* (2). Haec autem *vita aeterna*, quam attingere nitendum erat *regni coelorum* civibus, quaeque tam arcte connexa erat cum regno eo, ut cum hoc commutaretur, non erat vita terrenis omnibus fruens hisceque gaudens (3), sed potius terrenorum abnegatio (4), et vita talis, qua homines voluntatem faciant Dei, atque adeo sentiant, velint, agant, quod sentiat, velit, agat Deus, et conjunctione cum hoc fruantur arctissima (5). Spiritualem igitur vitam, ad conjunctionem cum Deo magis magisque promovendam aptissimam, homines agere voluit Jesus Christus. Ideo et *conversionem*

(1) Formulas enim *regnum coelorum* et *regni Dei* saepissime inter se commutari, et alii egregie probarunt, et vel apud Matth. luculentissime videri potest. c. XIX. 23, 24. cf. inter alios KUINOEL, *Comm. ad Matth.* III. 2. edit. 4ta.

(2) Cf. Matth. XIX. 16. 23. VII. 14. 21. XVIII. 3. 4. 8 et VENEMA in *Waarh. in Liefde*, 1839. II. 304.

(3) Matth. XIX. 21—23. (4) Matth. l. l.

(5) C. VII. 14—21.

voluit hominum, ut a solita vitae agendi ratione perversa recederent (1).

Hanc *vitam aeternam* in hominibus excitare, hoc *regnum coelorum* his in terris fundare, talem efficere *conjunctionem* hominum cum Deo et inter se (2), hoc erat opus, ad quod peragendum Dei Filius in mundum venit. Per ipsum enim haec esse perficienda, uti jam sentiebat Johannes, quum (3) adveniens regnum coelorum conjungeret cum τῷ ἐρχομένῳ post eum, ita ipse Jesus diserte dixit, se (4) satorem vocans (5). Tale regnum esse condendum et quidem per sese, etiam professus est Marc. I. 14. Luc. IV. 43, alibi.

Hujus igitur *regni coelorum* μυστήρια (secundum Matthaeum et Lucam, secundum Marcum vero μυστήριον) cognoverunt qui cum Jesu erant, maxime discipuli. Matthaeus igitur et Lucas differunt a Marco, vocabulo μυστήριον utente tantum numero singulari. Verum id parum difficultatis videtur afferre tenenti, Matthaeum solere numero uti plurali, ubi caeteri utuntur singulari (6), magisque respicere singula illa, quae de regno coelorum erant abscondita, ac ideo dicere μυστήρια, quae Marcus, haec omnia uno obtutu perstringens, dixit μυστήριον. — Confirmari videtur haec opinio iis, quae Matthaeus nostro loco, vs. 17, habet, quaeque non apud caeteros inveniuntur Euangelistas, ulterioremque requirunt indagationem.

---

(1) C. IV. 17. XI. 20. (2) Cf. XIII. 24 sq. 52.
(3) C. III. (4) XIII. 37. (5) Cf. et Luc. XX. 13. coll. 19.
(6) V. c. Matth. XXVII. 44 cll. Luc. XXIII. 39. — Matth. VIII. 28 cll. Marc. V. 2. Luc. VIII. 27. — Matth. IX. 8.

§ 2.

Videndum enim nobis est, quare dici possit *regnum coelorum* μυστήριον, cum superiore § viderimus ita dici. — Hujus rei rationem ipse dat Jesus jam memorato vs. 17. Namque inde a vs. 12—15 ratione reddita, quare illis, ad quos parabolis loqueretur, non datum esset, cognosse μυστήρια, vs. 17 ad discipulos, quibus datum erat, redit et explicat, quare his datum esset. »Vestri enim," inquit, »beati sunt oculi, quod videant, ac aures vestrae, quod audiant. Profecto enim vobis dico, quod multi Prophetae ac justi desiderarint videre, quae vos videtis, nec ea viderint, atque audire, quae vos auditis, neque audiverint." Primo loco jam hic patet, quaenam respiciens Matthaeus dixerit μυστήρια, nempe singula illa, quae viderunt et audiverunt Apostoli; ac porro haec ideo μυστήρια fuisse antiquis, quandoquidem haec, quae in salutem inprimis populi Israëlitici futura esse sciverant, non datum esset iis contemplari ipsos. Jam inde enim a Davidis inprimis aetate et insecutis temporibus, quum civitas Judaeorum antiquam amisisset conditionem florentissimam, malisque omnigenis, continuis maxime populorum peregrinorum invasionibus afficeretur, orta fuit vulgi spes ac cultiorum magisque piorum certissima persuasio, Deum olim gentis suae conditionem meliorem esse redditurum per virum quendam eximium e gente Davidica oriundum, alterum quasi Davidem, Davidicae aetatis salutem reducturum et adaucturum. Hujus persuasionis, quum Prophetarum scripta sint plena, ita N. F. testimonia exhibet luculentissima (1). Nec mirum hos Prophetas adventum

(1) Cf. v. c. Matth. XXI. 8. 9. coll. Joh. VI. 15, — c. XII.

hujus viri avide desiderasse, immo et certissime exspectasse. Erat enim conditio populi saepissime miserrima et continuo in deterius vergens, quum praeda fieret cujuscunque fere exercitus peregrini, calamitatibusque internis multis premeretur; — et vel sic tamen certissime cultiores piique illi confidebant promissis a Deo jam Abrahamo datis, se per ipsius prolem omnibus orbis terrarum gentibus beneficia eximia esse praebiturum. Quare vel ipsa populi conditione miserrima intime commoti avidius exspectabant illius viri desiderati adventum. — Ergo quum rem, quam videre atque audire gestiebant, tamen non viderent audirentque, ex Jesu mente res haec fuit iis μυστήριον.

Videndum restat, cur desierit esse discipulis caeterisque μυστήριον. Ex opposito eorum, quae vidimus, responsio sese statim offert, nempe eam ob causam, quod viderent et audirent discipuli ea, quae videre et audire frustra desideraverant antiqui. »Vestri enim," ait Jesus ipsis, »beati oculi, quod videant, auresque quod audiant, ea, quae illi videre et audire non potuerunt." Quia igitur vir ille avide exspectatus ac desideratus jam adesset et regnum illud fundare incepisset, ideo regnum hoc iis μυστήριον non amplius erat. Fruebantur ergo felicitate discipuli caeterique illa, qua hujus regni participes frui poterant, jamque erant socii illius conjunctionis, ex qua unum excidisse vehementer postea doluit Servator optimus, regni auctor. Ideo et hic Pharisaeis, ipsi illudere conantibus adeoque rogantibus, quandonam

11—19. Luc. XXIV. 21. Act. I. 6. Aliae autem et fuere de hoc tempore ac viro sententiae, uti probat Luc. II. 29—32. Joh. I. 29, cujus rei causa non potest esse non sita in singulorum hominum ingenio, cultu, indole, moribus, caet.

tandem veniret *regnum Dei*, de quo toties loqueretur; Jesus respondere potuit: »Quaestionem agitis inanem, quandoquidem non necesse est, ut veniat adhuc, imo potius jam adest inter vos ipsos, quod vos vero non observatis" (1). — Quodsi jam quaeris, quomodo Jesu discipulis tantum ac reliquis qui cum Jesu erant, desierit esse *μυστήριον*, quod caeteris tamen, eadem qua illi fruentibus rei cognoscendae occasione, mysterium esse perrexerit: id tibi concedo, hos aeque ac illos Jesu apparitionis et operis fuisse testes; hos enim etiam vidisse atque audivisse diserte affirmat Jesus, vs. 13, 15; etsi vero eadem, quae Jesu discipuli caeterique, videre poterant et videbant, haec ne minimam quidem vim habuerunt in ipsis, qui sensibus tantum videbant externis, quorumque animus nihil cernebat, nihil animadvertebat, nihil sentiebat, quippe prorsus stupidus. Hi igitur omnia, quae vim habere possent ipsis salutarem, consulto excludentes, omnimodo resistebant iis, quae videbant ac audiebant. His revera neque aderat Jesus Christus, h. e. Jesus, qui Christus ipse haberi volebat, neque regnum, ab ipso condendum ac jam aliquatenus conditum, Divinum. Hi facile ipsum rogare poterant, quandonam venturum esset *regnum Dei*, nam, sensibus tantum usi externis, nihil videre poterant nisi quod hisce observari posset. Itaque hi, nomine *regni coelestis* sive *Divini* utentes, hoc non cognoscebant, quale ex ipsius Dei consilio erat futurum, qualeque Jesus jam condere incipiebat; — idque quum esset ipsis absconditum, sponte intelligimus, quare his non datum esset cognosse *τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*.

(1) Luc. XVII. 20. 21. Cf. METZLAR, *Waarheid in Liefde*, l. l. 309, 310.

Concludimus ergo, τὸ μυστήριον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν e Jesu sententia fuisse opus, ipsi commissum quod hac in terra ageret, cujus operis natura et consilium multos latebat; hoc vero ideo latuisse multos sive multis fuisse μυστήριον, quia (quamvis antea, futurum esse, haud ignoraretur) nondum re et facto adesset: ut primum vero adesse inciperet, tum etiam cognitum factum esse hoc μυστήριον saltem nonnullis, quibus ergo desinebat esse μυστήριον.

SECTIO II.

DISQUISITIO, QUID EX APOSTOLORUM SENTENTIA IN RELIGIONE CHRISTIANA SINT μυστήρια.

Quum plura non sint explicanda, unde videamus, quid in religione Christiana ex Jesu mente sint μυστήρια, jam transire licet ad disquisitionem alteram, quid ea sint ex sententia Apostolorum. Quod ut fiat, age ordiamur ab Apostolo Paulo, e cujus scriptis singula loca, quibus de re nostra sermo est, indagemus, ordine servato, quem ipse exhibet Novi Testamenti Codex.

CAPUT I.

Exponitur Pauli Apostoli sententia.

§ 3.

Ep. ad Rom. XI. 25.

Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, τὸ μυστήριον τοῦτο, ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι, ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ· καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται.

Primo obtutu patet, Apostolum loqui de *mysterio* hoc sensu, ut sit res aliqua nondum facta, cujus vero

rei lectores nescios amplius esse ipse non velit, eamque rem esse hanc: obdurationem animi (qua Euangelium non susciperent) tantum ex parte Israëlitis adesse, et eo usque modo esse duraturam, quo Gentiles omnes in Ecclesiam ingressi sint; quo facto servanda sit tota gens Israëlitica. — Lectoribus igitur notum facit Paulus mysterium hocce, fore tempus, quo et Israëlitae fiant omnes Ecclesiae Christianae socii, et haec adeo fiat conjunctio tum Gentilium tum Israëlitarum.

Hoc igitur locum esse habiturum, sciebat atque aperte profitebatur Apostolus, idemque etiam lectoribus haud ignotum esse voluit, quum id iis communicet. Patet igitur, *mysterium* hîc rem esse neque incognitam, neque non cognoscendam, quandoquidem Paulus eam et ipse sciret, et scire lectores vellet. Insuper patet, Paulum eam neque scire ratione quadam peculiari vel patefactione Divina immediata, cum jam inde a C. X. 8 eandem rem egisset, quam hoc versu paucis verbis indicat, quem ideo et incipit vocabulis *οὐ γὰρ*, rationem reddentibus eorum, quae prius dixerat. — Opus igitur est accuratius in locum inquirere, ejusque cum antecedentibus cohaerentiam in luce ponere. Exposuerat inde a C. X. 8^{b}—13, omnibus, et Judaeis et Gentilibus, annuntiari Euangelium; vs. 14—21, Judaeos autem non omnes huic nuncio obsecutos esse, Gentiles vero multos fidem Jesu Christo habuisse; C. XI. 1—5, Deum tamen non totum populum Israëliticum rejicere, sed vel sic eos, prae gratiâ suâ, ad Ecclesiam vocare; vs. 7—10, horum vero multos, animo et mente obduratos, perire; 11—24, hanc obdurationem, qua Judaei rejiciunt salutem, esse causam, quare vocati sint Gentiles; horum autem vocatione et assensu Euangelio

praebito deinceps populum Israëliticum participem esse futurum salutis in Christo oblatae, nisi nempe vel tum perseveret esse incredulum. — His fuse explanatis, argumentationem concludit versu nostro, indicans, se haec omnia exposuisse, ne lectores nescirent rem gravissimam, de qua ipsi esset persuasissimum. Ipse enim ex omnipotenti Dei amore derivaverat, non posse non fieri, quin tandem tandemque una colligeretur Ecclesia Christiana, ex Judaeis et Gentilibus, adhuc a se invicem separatis. — Quod uti ex rei natura in omnium lectorum usum Paulus derivaverat, ita idem, in Judaeorum gratiam, itidem probat et adstruit eo, quod et antiquitus eodem modo res sit cogitata; quare allegat effatum Prophetae Jesaiae, vs. 26*b*, 27 (1), et, argumentis denuo ex Dei amore desumtis, rem ulterius universeque probat, vs. 28—32.

Patet igitur, *μυστήριον*, cujus Paulus lectores gnaros reddit, esse, *futuram Judaeorum ad Ecclesiam Christianam conversionem.*

Num autem haecce conversio nostro jam tempore sit facta, quaestio est, quae mirum in modum interpretes exagitavit, nec tamen nos morabitur: etenim haec quaestio mere est historica, dum nobis tantummodo mens Pauli est interpretanda; hic autem nil de ea definit, nisi hoc, locum esse habituram hanc conversionem, quando *magna copia*, *plenitudo* (2) Gentilium fidem Euangelio habuerit.

---

(1) Jes. LIX. 20 sq. cll. XXVII. 9.

(2) Interpretari malumus *magnam*, *majoremve copiam*, quam *omnes omnino*, praecipue ob vs. antecedentem 12, ubi sibi invicem opponuntur *πλήρωμα* et *ἥττημα*, quod posterius de *numero minore* accipiendum videtur. Hanc autem sententiam non unice veram haberi volumus, adeoque insuper consuli possunt J. A. CRAMER, *verklar. v. d. Brief v. Paulus aan de Rom.* 1787, 2de Deel,

Vidimus igitur, de quanam agat Paulus re, quam *μυστήριον* appellat; videndum restat, quaenam Pauli h. l. sit notio *μυστηρίου*. Ideo sane eam non vocat *μυστήριον*, quia intelligat rem aut incognitam, aut non cognoscendam; nam ab omni parte rem, quam hîc agit, in luce ponere conatur, uti antea vidimus. Hactenus igitur latere res minime dici potest. Ast, uti ex antea dictis etiam satis apparet, ideo res dicitur *μυστήριον*, quia adhuc est futura et nondum re et facto patens, unde Paulo lectoribusque est *μυστήριον*, quod esse desinet, quam primum res, de qua agit, apparuerit. Quare, ex Pauli mente, notionem *μυστηρίου* dicimus hanc, *quod sit res eatenus abscondita, latens, donec re et facto apparuerit*, sive, *res abscondita, latens, nisi re et facto apparuerit* (1).

§ 4.

Rom. XVI. 25 sqq.

Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου καὶ τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, φανερωθέντος δὲ νῦν, διά τε γραφῶν προφητικῶν, κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου θεοῦ, εἰς ὑπακοὴν πίστεως εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος· μόνῳ σοφῷ θεῷ sqq.

Praepositio *κατὰ* hic refertur ad *εὐαγγέλιόν μου* et *κήρυγμα* I. X., unde constare videtur haec arcte esse

blz. 206 vv. et STORR, *Opuscc. Acadd.* (de voce *πλήρωμα*) I. inprimis p. 186 cll. 156, 157.

(1) Cf. omnino ad h. l. P. BOSVELD, *Verklar. v. Paulus Br. a. d. Rom.* Dordr. 1805.

conjuncta, neque res respicere diversas. Jam vero τὸ εὐαγγέλιόν μου Paulo significare videtur, Euangelium, quod *ipse* praedicavit, ratione habita eorum, quae alii praedicarunt (1); hîc autem, cum conjungatur cum τῷ κηρύγματι I. X., videtur intelligi ratio, qua ipse Jesum Christum praedicavit, quod et tibi confirmatur cogitanti, Paulum non semet ipsum praedicare, adeoque μου non posse esse genitivum objecti. Haec autem ratio videtur id habuisse privum, ut inter *omnes gentes* Jesum praedicaret. Quare, uti h. l. meminit τοῦ εὐαγγελίου μου, ita alibi se ad tale praeconium vocatum esse diserte pronunciat (2). Specialem autem et causam habet Paulus, quare hîc dicat, κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου. Nempe se opponit aliis Euangelii praeconibus, nimis anxiis ac Judaizantibus, suoque potius quam Ecclesiae commodo operam navantibus; qualium mentionem fecit versibus antecedentibus 17, 18 (3).

Quid autem est κήρυγμα? Forma vocis indicat esse *id, quod praedicatur* (4). Quare, cum dictione τὸ εὐαγγέλιόν μου videatur intelligi praeconium, quale ab ipso Paulo proficiscebatur, vocibus τὸ κήρυγμα I. X. videtur intelligi hujus praeconii materia, ipse Jesus Christus. Namque non probanda videtur Cl. BRETSCHNEIDERI opinio (5), κήρυγμα I. X. h. l. explicantis: »i. e. secundum oracula divina a Jesu nobis annunciata," quod liquet cum e constanti Pauli Apostolorumque reliquorum consuetudine, Jesum annun-

---

(1) Uti videre licet e Rom. II. 16. 2 Tim. II. 8 et 1 Cor. II. 4 (ubi eodem modo dicit τὸ κήρυγμά μου).

(2) v. c. Gal. I. 15. 16. cll. II. 8. 9.

(3) Ita et Gal. I. 18 suum aliorum Euangelio opponit.

(4) Cf. BÜTTMAN, *Gr. Gramm.* ed. 13a. 1829. p. 325 sq.

(5) In Lexico, voc. κήρυγμα, ed. 3tia.

ciendi, non item verba Jesu repetendi, tum e perpetuo hujus vocabuli et verbi *κηρύσσειν* usu, e quo semper Jesus Christus est objectum praeconii. Ita enim Philippus dicitur *κηρύσσειν τὸν Χριστὸν* (1), et Paulus *ἐκήρυσσε τὸν Χριστὸν*, quod hic sit Filius Dei (2); idemque dicit se et alios Apostolos *κηρύσσειν* Christum cruci affixum (3). — Eodem modo et vox *κήρυγμα* invenitur, v. c. 1 Cor. XV. 14, ubi audit: »si Christus autem non est resuscitatus, vanum est *κήρυγμα* nostrum, vana quoque fides vestra:" quae verba, rite cum antecedentibus comparata, inprimis cum vs. 12, vix alium sensum possunt praebere, nisi hunc: »vanum est, quod praedicatum est a nobis (aut: praedicatur), vanum quoque est, quod a vobis creditur." Item unicuique in oculos incurrit, 1 Cor. I. 21, *διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος* esse accipiendum de *stultitia ejus quod praedicatur* (4), — et 1 Cor. II. 4, *τὸ κήρυγμά μου* de eo, *quod praedicatum est a me* (5).

Probant itaque loca allata, formulas *κηρύσσειν τ. Χ.*, et *τὸ κήρυγμα Ι. Χ.* constanter accipi de praeconio Jesu Christi, id est de Jesu Christo ab Apostolis annunciato. Idem obtinet in nostro loco, qui tamen non indicat, quid praedicetur de eo, quare recurrendum est ad alia, quae citavimus, loca, quae probant esse praeconium de Jesu Christi persona,

---

(1) Act. VIII. 5. (2) IX. 20.

(3) 1 Cor. I. 23. 2 Cor. I. 19 (quo posteriore loco Dei Filius et *ab ipsis* inter Corinthios praedicatus esse dicitur) XI. 4. Ita et 1 Cor. XV. 12 dicitur: »Si *praedicatur* Christus, e mortuis resuscitatus."

(4) Cll. vs. 23.

(5) Alibi audit: *κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον*, Gal. II. 2, vel *εὐαγγέλιον τὸ κηρυχθὲν*, Col. I. 23.

vita, factis ac fatis, eum esse Dei Filium, cruci affixum, e mortuis resurrexisse, caet. (1), verbo praeconium de Jesu Christi apparitione.

Ita Jesus Christus h. etiam l. est objectum praeconii Paulini. Quatenus autem is sit objectum praedicationis suae, exponit Paulus in sequentibus, nempe quatenus in eo patefactum sit mysterium aliquod. Etenim haecce Jesu apparitio, quae praedicabatur a Paulo, ipsi est ἀποκάλυψις μυστηρίου.

Mysterium autem hoc antea jam cognitum erat e scriptis Prophetarum. Quibus si quaeris quid sibi velit Paulus, observes quaeso, ipsum universe praedicationem suam de Jesu Christo conjungere solere cum V. F., partim ut Judaeos sibi propensos reddat, partim ut omnibus lectoribus, apparitionem illam Jesu Christi proponat tam arcte connexam cum omni historia anteriori, ut una adsit generis humani institutio Divina. — Nihil, v. c. se annunciare ait (2), nisi quae Moses et Prophetae futura dixerant, Christum debere pati, ac, resuscitatum e morte, lucem annunciaturum Judaeis et Gentilibus. — Ita et in oratione, quam habuit Antiochiae in Pisidia (3), praeconium Jesu, continuo cum antea jam dictis conjungit (4). Et ipsum in singulis etiam rebus identidem ea, quae dicit, cum antiquis conjungere, liquet ex pluribus locis, in hac ipsa epistola ad Rom. obviis (5).

---

(1) Uti igitur jam sponte apparet, idem significare εὐαγγέλιον et κήρυγμα, ita hoc abunde probavit vir doct. A. VAN STAVEREN, *de Euangelii natura*, inpr. p. 29—31, qui et conferatur de discrimine utriusque vocis p. 54.

(2) Act. XXVI. 22. (3) Act. XIII. 16—41.

(4) Cfr. e. g. vss. 24. 25. 27. 29. 32. 33.

(5) Cfr. hanc in rem III. 9—18. IV. 3—8. V 12—21. VIII. 36. IX. 15. 17. 25—29. 33. X. 11. 15. 19—21. XI. 2— 4. 8—10. 26.

Hoc autem mysterium, quod nunc innotescebat e scriptis propheticis, annuntiabatur inter omnes gentes, et quidem *secundum decretum*, jussum, voluntatem *Dei*. — Saepius, imo fere semper, uti cum omnibus ita specialiter cum Euangelii praeconio conjungit voluntatem Dei, utpote causam omnium rerum supremam (1). Et haec quidem erat voluntas Dei *aeterni*: hic enim, optimis de causis, hoc *μυστήριον* antea *σιγᾶσθαι* fecit, nunc autem annunciari et divulgari.

Annunciatur vero hoc *μυστήριον εἰς ὑπακοὴν πίστεως*. Voces *ὑπακοὴ πίστεως* quum (2) hîc de obsequio fidei in Jesu habitae usurpentur (3), ac praepositio *εἰς consilium* denotet, manifestum est, divulgari hoc mysterium inter omnes gentes, ut fide obsequium praebent Jesu Christo.

Ex Pauli igitur sententia eadem illa apparitio Jesu Christi *ἀποκάλυψις* est *τοῦ μυστηρίου* illius, vel, si teneamus notionem, quam jam antea Paulo propriam vidimus, *illud μυστήριον patefactum est re factoque*, totâ Jesu Christi apparitione his in terris conspicuâ. Ast mysterium illud antea absconditum quodnam est? Secundum haec, quae antea vidimus, nullum aliud, nisi hoc, appariturum esse virum quempiam Divinitus missum, qualis erat Jesus Christus; — quae res, Prophetis quidem cognita, sed non visa, igitur *mysterium* fuit, *res nondum re et facto patens*. Haecce enim notio, ex prioribus cognita, congruit prorsus

(1) v. c. Tit. I. 3. 1 Tim. I. 1. alibi.

(2) Uti patet, cll. Act. VI. 7, ubi *ὑπακούειν τῇ πίστει*, *obsequi fidei* idem est ac *fidem habere*, — et 2 Cor. X. 5, ubi *εἰς ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ ad obsequendum Christo*, — 1 Petr. I. 22, ubi *ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας in obsequio veritatis*, *in obsequendo veritati* denotat.

(3) Cf. et Rom. I. 5.

etiam huic loco. Namque cap. anteced., XV. 7—12, diserte facit mentionem Divini de beando toto genere humano consilii, prioribus jam temporibus communicati. Cum quo loco iisque, quae ibi sequuntur, arcte cohaerere videtur locus noster, quum ea, quae interposita sunt, potius spectent conditionem privam eorum, ad quos scribit Paulus, quam argumentum totius epistolae.

Concludimus ergo, μυστήριον h. l. esse *consilium divinum (antea jam cognitum), de beando genere humano per Jesum Christum; quod ideo μυστήριον, absconditum est dicendum, quia non re et facto aderat, nunc autem, quod re et facto adsit, est patefactum* (1).

---

(1) Ad vocem *patefactum* hic et alibi addimus *re et facto*, idque hanc ob causam, ut accurate exprimamus, *quomodo μυστήριον* ex mente Pauli sit patefactum. Caeteroquin enim superfluum videri possit id addere, quum, ex nostrâ quidem sententiâ, *patefactio Christiana* constet rebus in facto positis; quae patefactionis notio etiam confirmatur rationibus ex ipsis vocibus desumtis. *Patefacere* enim quid est, nisi *facere ut quid pateat*, i. e. conspici possit omnium oculis? Hoc *patere* autem primò loco semper dicitur de rebus, quae videri possunt, uti est in illo:

Noctes atque dies PATET *atri janua Ditis.*

Haec notio patefactionis, rebus in facto positis effecta, transit, progrediente cultu generis humani, in aliam, et quidem in eam, quae oritur, non conspiciendis rebus in facto positis, sed fide hisce rebus bene narratis habitâ. Prima enim notio vocis *patere*, *open staan*, transit in alteram, quae est *blijken*, i. e. persuasio orta fide positâ in rebus factis. Inde et Latine semper dicitur: *patet illa res*, non *patet ea re*. — Eadem notio inest nostro *openbaren*, quippe quod compositum est ex *open* en *baer*, sive *op* en *baer*. Cf. KILIANI *Etym. Teut. Ling.* 1618 in voce *openbaer*, et V. D. SCHUEREN, *Theutonista door* J. A. CLIGNETT. 1804 in voce *baer*.

§ 5.

1 Cor. II. 7, 10.

'Αλλὰ λαλοῦμεν σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων, εἰς δόξαν ἡμῶν, ἡμῖν δὲ ὁ Θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ.

H. l. primum inquirendum, quid ex Pauli mente sit *σοφία* illa *Θεοῦ*. Illa *σοφία Θεοῦ* Paulo est ipse Jesus Christus, uti ipse disertis verbis enuntiat I. 23, 24 (cll. 6, 17), ubi dicit: »nos praedicamus Jesum Christum cruci affixum, Judaeis quidem offendiculum, Graecisque stultitiam, ipsis vero vocatis Judaeis et Graecis Christum, Dei vim et Dei sapientiam" (1). Idem patet, si conferatur vs. 30: »ex ipso vero vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis *σοφία ἀπὸ Θεοῦ*," *κ. τ. λ.* — Idem confirmatur, si inspiciatur II, 2, ubi dicit, se nihil voluisse scire inter Corinthios, nisi Jesum Christum, et hunc cruci affixum, quare neque aliud quid *λαλεῖν* potuit, vs. 7. Etiam luculentissime hoc patet, collato hujus cap. vs. 8, ubi dicit: »neminem principum hujus saeculi cognovisse sapientiam illam: etenim si cognovissent, cruci non affixissent Dominum gloriae." Commutat ergo inter se *sapientiam* illam et *Jesum Christum*, Dominum gloriae.

Cum haecce *σοφία*, quam *λαλεῖ*, ipse sit J. C., ideo ne nos miremur, Paulum hanc vocasse *Θεοῦ σοφίαν*. Duplicem enim hujus rei invenimus causam; alteram, quod, uti fere semper, ita et hic Paulus eam sapientiam repetat a Deo, auctore summo, qui nos ejus participes fecit; alteram, eamque graviorem,

---

(1) *Θεοῦ σοφίαν.*

quod hanc egregiam Dei sapientiam opponit vili hominum sapientiae, quibus Dei consilia stulta esse videantur (1). Plenius autem hoc tibi patebit conferenti nostrum locum, in quo hanc sapientiam et a Deo auctore derivat (2), et diserte opponit humanae sapientiae divinam; nam suum *κήρυγμα* dicit »non esse situm in persuasoriis humanae sapientiae sermonibus" (3), et vs. 6. dicit se non praedicare: »sapientiam hujus saeculi, neque Principum hujus saeculi, qui destruuntur."

Praedicabat autem Paulus *σοφίαν* Dei *ἐν μυστηρίῳ;* quae quid sit, explicat mox, dicendo, »*quae erat abscondita*, quam decrevit Deus ante saecula in gloriam nostram, nec cognoverunt Principes hujus saeculi; . . . . nobis autem patefecit Deus per spiritum suum." Consulto igitur hîc explicat Apostolus, quo sensu intelligat, *ἐν μυστηρίῳ* esse hanc sapientiam, quam praedicavit. Etenim Paulum hic non referre *ἀποκεκρυμμένην* ad *σοφίαν ἐν μυστηρίῳ*, ac si esset illa *σοφία ἀποκεκρυμμένη ἐν μυστηρίῳ*, aut ac si positum esset *τὴν ἀποκεκρυμμένην ἐ. μ.* (4), ex ratione, qua articulus ponitur, abunde constat. Si nempe vocabula *ἀποκεκρυμμένην* sequentia non constituerent appositionem, sed arcte cum vocibus praecedentibus essent juncta, Apostolus scripsisset: *σοφίαν θεοῦ, τὴν ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένην.* — Praeterea quaestio, quam e. g. RÜCKERT (5) movet, num illud *ἀποκεκρυμμένην* significet *adhuc absconditam*, an *antea* modo *absconditam*, facile ab ipso Paulo nobis videtur solvi tam forma participii perfecta, perfectum indicante

(1) I. 22—24.

(2) *ἣν προώρισεν κ. τ. λ.*

(3) Vs. 4.

(4) Uti GROTIUS ad h. l. putat.

(5) In Comm ad h. l.

tempus, quum de re adhuc abscondita loquens praesenti usus esset forma, ἀποκρυπτομένην, quam dictione mox sequenti: ἣν προώρισεν κ. τ. λ. — ἡμῖν δὲ ἀπεκάλυψεν. Quorum igitur in gloriam antea jam Deus illam sapientiam constituerat futuram, his erat jam *patefacta*, non amplius abscondita (1).

Ergo Paulus scribit, se praedicantem Jesum Christum, eumque cruci affixum, praedicare sapientiam Dei antea absconditam, ante saecula a Deo in gloriam nostram constitutam, nunc vero patefactam ab ipso per spiritum suum; id est, se praedicare consilium Dei sapiens, quod antea erat absconditum, sed jam diu a Deo in nostram salutem captum, consilium, inquam, hoc, per Jesum, et hunc cruci affixum, omnes credentes servandi, quod Pauli aequalibus nunc re et facto per Euangelium Deus aperit et patefacit. Hanc esse veram Pauli sententiam, constare nobis potest, inspicientibus ea, quae sibi invicem opponuntur in primo capite: ibi enim, vs. 21, habetur: »nam quia in sapientia Dei mundus prae sapientiâ non vidit Deum, decrevit Deus per stultitiam praedicationis servare credentes.'' — Haec autem praedicatio, quae Graecis (puta non Christianis, cll. vs. 24) erat μωρία, Judaeis et Graecis vocatis erat sapientia Dei (vs. 23, 24). Quare ex his, quae opponuntur, certo constat, Paulum et in nostro loco intelligere *sapiens Dei consilium*, quod ante saecula ab ipso susceptum fuit de salvandis omnibus hominibus, tum Judaeis tum Graecis, sed antiquo aevo absconditum, μυστήριον (2).

(1) Cf., inter alia loca, Rom. XVI. 26, ubi ex adhibito vocabulo νῦν constat, Paulum φανεροῦσθαι = ἀποκαλύπτεσθαι referre ad tempora praesentia, illud ἀποκεκρυμμένον aut σεσιγημένον ad tempora anteriora.

(2) Eadem vocis σοφία notio apud Paulum invenitur Rom. XI.

Apertius etiam consilium Dei, quod per Christum exsecutus est, exprimit I. 30, quare et hunc locum ad nostri loci intelligentiam promovendam, allegare Iubet. Dicit Paulus: » vos estis in Christo Jesu, qui nobis factus est (illa) σοφία Dei, δικαιοσύνη, ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις, i. e. δίκαιοι, ἅγιοι, ἀπολελυτρωμένοι, quae versus interpretatio ex iis, quae jam diximus, et defendi posse, et facillima esse, nobis videtur (1). — Quid autem multa? Ea enim, quae ex oratione contexta probare conamur, et ipse locus noster aperte indicat: etenim Paulus se λαλεῖν dicit sapientiam illam, quam Deus ante saecula in nostram gloriam constituit: quae, nisi de consilio, quod Deus in hominum salutem promovendam cepit, accipienda sint, quid significent non intelligimus.

Inquirendum restat, quomodo patefactum sit illud Dei consilium, quod antea absconditum, nunc patefactum Paulus celebrat. Quae hactenus disputavimus, continent jam hujus quaestionis solutionem. Etenim praedicavit Paulus inter Corinthios nihil nisi Jesum Christum et hunc cruci affixum; praedicavit autem hunc utpote σοφίαν illam, σοφίαν ἀπὸ Θεοῦ. Jam vero haec quemnam praebeant sensum, nisi

---

33 cll. cum antecedd. — Eodem fere modo rem explicat ESTIUS: addit enim ad voces πρὸ τῶν αἰώνων: » quae consilia sapientiae suae Deus ab aeterno praefinivit ac decrevit exsequenda in tempore," (v. POLI *Synopsis Crit.* Ed. 1694. vol. V. ad h. l.): et ad vc. ἥν, vs. 8: » sapientiam; i. e. quae Divinae sapientiae consilia:" et ad vcc. οὐδεὶς κ. τ. λ., ib.: » quibus consilium Dei de hominibus per crucem salvandis, antequam illud Deus exsequeretur, erat prorsus incognitum, tum inauditum" (pro ultimis vero verbis equidem scribam: » erat incognitum, quia re et facto nondum patebat."). POLUS, l. l.

(1) Cf. et J. A. NOESSELTUS, *Opusc. Fasc.* II. p. 127 sqq. 1787.

hunc, Paulum nunciare Jesum Christum, h. e. ejus personam, missionem, mortem, vitam, caet. utpote re et facto patefacientes, in lucem ponentes hocce divinum de hominibus servandis omnibus consilium? Paulum vero hoc consilium patefactum videre in Jesu Christi apparitione, luculenter probant, quae nostrum locum sequuntur, ubi dicit se λαλεῖν illam σοφίαν, quam nemo Principum hujus saeculi cognovit, quae igitur his etiam erat abscondita; » si enim eam cognovissent, Dominum gloriae non affixissent cruci;" ergo cognosse debuerant eam sapientiam in Domino illo glorioso, quo rejiciendo ostenderunt sibi absconditam esse Dei sapientiam, in illo nobis credentibus conspicuam. » Nobis enim," addit Apostolus, » Deus sapientiam illam patefecit," idque διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ, quod, quid sibi velit, explicat vs. 12, ubi illud αὐτοῦ, junctum cum voce πνεῦμα, explicat, ut sit τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, et hocce πνεῦμα nos accepisse asseverat, ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν. Illud igitur πνεῦμα, quod e Deo est, adesse debet in Christianis, *ut* videre possint (adeoque totum quantum concipere) illud ex gratuito Dei amore profectum consilium de genere humano beando.

Concludimus ergo, illam σοφίαν ἐν μυστηρίῳ h. l. Paulo esse *consilium divinum sapiens de beando toto genere humano per Jesum Christum*, quod ideo ἐν μυστηρίῳ est, quia erat *ante absconditum*, *etsi a Deo ante saecula susceptum*, *nunc autem Jesu Christi apparitione re et facto patefactum.*

§ 6.

1 Cor. IV. 1.

Οὕτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ.

Probat hic locus, Paulum se et reliquos Euangelii praecones (1) appellare mysteriorum Dei dispensatores. *Mysteria* igitur haec debentur Deo, utpote causae primae, et dispensantur per Paulum caeterosque Jesu nuncios inter Gentes. Hoc magis manifestum nobis fit, si ad hunc locum observemus, Paulum in praecedentibus, inde a C. III. 1—10, loqui de praedicatione Euangelii inter Corinthios, atque vs. 11 affirmare se inter eos, tanquam fundamentum templi Divini jecisse Jesum Christum (2), quem igitur tandem, vs. 23, solum dicit Corinthiorum Dominum; hujusque omnis ratiocinii conclusionem haberi in nostro loco: » quisque igitur (secundum ea, quae explicuimus) nos habeat Christi servos et dispensatores mysteriorum Dei." Quare jure merito concludere possimus, Paulo etiam hîc eandem esse de *μυστηρίοις* sententiam, ac in locis, de quibus jam vidimus; quare hîc amplius morari non videtur opus esse.

Namque non impedit, quominus ita interpretemur, observatio, Paulum loqui numero plurali de *μυστηρίοις*. Opus enim suum comparaverat cum opere architecti (3); quare singulas operis partes nunc ipsum spectasse, verisimile est, dum c. II. magis totum Christi opus respiciens idem dixerat *μυστήριον*.

---

(1) Cf. I. 1. III. 5. 22.

(2) Cf. de h. l. METZLAR, *Waarheid in Liefde*, 1840. p. 768.

(3) III. 10—12.

Caeteroquin locus hicce optime intelligitur, collatus cum alio loco Paulino, Col. I. 25—27, de quo deinceps agemus.

§ 7.

1 Cor. XIII. 2.

Καὶ ἐὰν ἔχω προφητειαν, καὶ εἰδῶ τὰ μυστήρια πάντα καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν, καὶ ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν, ὥστε ὄρη μεθιστάνειν, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω· οὐδέν εἰμι.

Loquitur h. l., vs. 1—3, Apostolus de donis in Ecclesiae Christianae civium salutem concessis, quod constat coll. XII. 7—10, ubi uberior illorum donorum expositio invenitur, atque inter ea memorantur, vs. 8, λόγος σοφίας et λόγος γνώσεως. Praeterea ponit Apostolus ante vocem μυστήρια articulum, quo significet, se loqui de rebus, lectoribus abunde cognitis. Ergo non immerito nobis statuere videmur, Paulum h. l. nos non docere, quid ipsi sint μυστήρια, sed vel respicere ea, quae antea de hoc argumento jam dixerat (1); vel populariter sumere esse μυστήρια, quaecunque Corinthiis forte esse videantur (2).

---

(1) Cf. in h. l. L. G. PARRAU, *Comment. crit. et exeget. in Paulinae epist. prioris ad Cor.* c. XIII. p. 174 seqq., qui ibi et copiose de nostro argumento universo disserit.

(2) Populari sensu, non suo, hic Paulum etiam uti voce πίστεως observat P. HOFSTEDE DE GROOT, *Waarheid in Liefde*, 1842, p. 76, 77.

§ 8.

1 Cor. XIV. 2.

Ὁ γὰρ λαλῶν γλώσσῃ, οὐκ ἀνθρώποις λαλεῖ, ἀλλὰ τῷ Θεῷ· οὐδεὶς γὰρ ἀκούει, πνεύματι δὲ λαλεῖ μυστήρια.

Eadem fere ratio, quae in loci 1 Cor. XIII. 2 interpretatione, et hîc obtinet, quare hîc ad illius expositionem attendas, quaeso. — Defectus articuli ante vocem *μυστήρια* jam statim comprobat, Apostolum non, uti XIII. 2, *τὰ πάντα* respicere *μυστήρια*, sed horum potius nonnulla. Indefinite ea cogitat. In lucem ponit h. l., vs. 1—4, discrimen inter duas res satis diversas, *τὸ γλώσσῃ λαλεῖν* et *τὸ προφητεύειν*, quarum rerum haec describitur vim saluberrimam exercere in Ecclesiam, illa tantum ei prodesse homini, qui ea utitur, qui *γλώσσῃ λαλεῖ*. Omnes autem Corinthios *γλώσσαις λαλεῖν* vult Apostolus, vs. 5. Jam vero, nulla ratio adesse videtur valida, cur h. l. ab usu vocis *μυστήριον*, quem Paulo proprium vidimus, recedamus. Agit enim de iis, quae in Ecclesia Corinthiaca adesse cupit, tum in civium singulorum, tum in Ecclesiae totius salutem tendentia. Qui *γλώσσῃ λαλεῖ*, ait Apostolus, ab hominibus non auditur, sed a Deo, adeoque tantummodo se ipsum *οἰκοδομεῖ*. Cum igitur Paulus de vi *τοῦ γλώσσῃ λαλεῖν* et *προφητεύειν* in hominum animos, salutifera ad promovendam pietatem, verbo ad conjunctionem cum Deo augendam, agat, non mirum nobis sit, eum huc etiam referre *μυστήρια*.

Ex iis enim, quae ipse antea de illis locutus erat, abunde constat, haec, ex ipsius mente, ad hanc conjunctionem cum Deo promovendam, vim haud exiguam habere. Quare ad sententiam ESTII et VOR-

STII (1), qui » arcana quaedam, nemini intellecta“ interpretantur, equidem me componere non possim. Haec enim quomodo ex mente Pauli possint οἰκοδομεῖν vel hunc ipsum, qui ea loquatur, minime liquet. Aliquatenus haec μυστήρια alios latere poterant et latebant sane, attamen hujus rei causa non sita erat in μυστηρίοις ipsis, sed in eo, quod ea non audiebant alii. Modus igitur, quo loquebantur μυστήρια, ea latere faciebat, quia nempe πνεύματι dicebantur: ipsi autem illi, qui ea loquebatur, οἰκοδομὴν et παράκλησιν et παραμυθίον afferebant aeque ac τῷ προφητεύοντι. — Hactenus igitur latere dici non possunt, neque differre ab iis, quae in antecedentibus de μυστηρίοις vidimus (2).

§ 9.

1 Cor. XV. 51, 52.

Ἰδοὺ, μυστήριον ὑμῖν λέγω· Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα. πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, κ. τ. λ.

Defectus articuli probat Apostolum hîc loqui specialiter de mysterio *quodam*. — Agit Paulus hoc

---

(1) POLUS l. l. ad h. l.

(2) Conferri merentur, quae, alio quidem consilio, meam sententiam comprobantia, de h. l. scripsit ven. P. VAN BUSTEREN, in opere periodico: *Godgeleerde Bijdragen*, 1839, p. 719, 720, — et addi ea, quae ad vs. 4 scripsit RÜCKERT, in op. laud.: » Der Glossen-Redner ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ. Ein heilbringender, Christliche Volkommenheit fördernder Einfluss wird also auch dem Glossenreden zugestanden; es kan demnach dasselbe nicht als ein unbewusstes Reden, oder ein Aussprechen von Dingen gefasst werden, welche dem Redenden eben so unverständlich seyen als dem Zuhörer: nur darin liegt der Tadel, dass sein Reden ihm selbst allein, nicht wie das des Propheten auch der Gemeine Nutzen bringt.”

capite de Evangelio, a se annunciato, vs. 1; hujusque argumentum exhibet Jesu Christi mortem, vs. 3, sepulturam et resurrectionem, vs. 4. Deinde de hac ultima Euangelii parte, de resurrectione fusius agere incipit: »quodsi vero" ait Apostolus, vs. 12, »Christus annunciatur, utpote qui ex mortuis resurrexerit" caet.; — unde constat ipsum magis specialem de Jesu Christo nuncium hic innuere. Postquam porro, versibus sequentibus, e resurrectione Christi probasset certam esse etiam resurrectionem nostram, et in Christo omnes resuscitandos esse, inde a vs. 35 loqui incipit de perversis nonnullorum opinionibus, modum resurrectionis spectantibus; — et vs. 44 resuscitatis adscribit corpus spirituale, quod comparatione instituta Adamum inter et Christum illustrare studet, vs. 45—49; dum vs. 50 affirmat omne, id, quod est sensuale atque interitui obnoxium, non nacturum esse vitam illam sempiternam. Hac fere ratione praecedentia cum nostro loco juncta sunt; qui adeo potest haberi conclusio praecedentium, quantumvis ad versum proxime antecedentem quammaxime respiciat. Restabat enim adhuc solutio quaestionis, quae ex versu antecedente moveri poterat: qualis igitur erit nostrorum corporum conditio, sive σαρκὸς καὶ αἵματος? Non quidem opus est, respondet Apostolus (1), ut omnes moriamur (2), attamen omnes immutabimur. Qualis autem et quam ob causam fiat haec immutatio, indicat Apostolus vs. 53, dicendo: »id quod interitui est obnoxium, ἀφθαρσίαν induetur, quod mortale est immortalitate." Non autem sibi velle Apostolum, ipsum illud quod interitui est obnoxium et mortale

(1) Cf. omnino vs. 35, 36.

(2) Cf. 1 Thess. IV. 16 sqq.

immutatione illâ gavisurum esse, abunde liquet ex vs. 50 et ex ipsius rei natura; sed unice hoc videtur sibi velle, homines, qui (caeteroquin) sint interitui et mortalitati obnoxii, quatenus sunt sensuales, eâ immutatos fore conditione, qua ἀφθαρσίᾳ et immortalitate sunt gavisuri. Hoc enim, uti ipsa rei natura probat, insuper confirmatur iis, quae Apostolus dicit 2 Cor. V. 1—4, ubi haec immutatio comparatur cum vestitu deponendo vetusto et induendo novo. . . . .

Observari porro meretur, ex antecedentibus et subsequentibus satis constare, Apostolum h. l. non rei summam aut adjunctum necessarium habere illud: »non omnes quidem moriemur," sed spectare tantummodo ipsam immutationem. Addit nempe illud ad succurrendum objectioni ex antecedentibus facile petendae, ejusque in subsequentibus non amplius recordatur (1).

Jam vero μυστήριον, de quo h. l. agit Paulus, est illa multorum hominum *immutatio*, quae sine morte locum est habitura. Quam vero rem quare vocet μυστήριον? Non alia hujusce rei videtur causa, nisi haec, quod, ex ipsius mente, sit res *futura*, nondum ergo *adsit re et facto*: — res ipsa, et eam esse futuram et qualis sit futura, ipsum nec latet, nec alios latere eam vult, imo per totum fere caput Corinthiis eam exponit. Quia autem res nondum adest ipsa, ideo Apostolus eam vocat μυστήριον. Hoc autem *patefactum* dicere non potuit Paulus; hoc ipse etiam minime patefacit, sed tantummodo loquitur de eo, ac nunciat id deinceps certissime esse patefaciendum. Nam ex ipsius mente rès illa, quod non omnes mo-

---

(1) Cf. ad h. l. RÜCKERT, l. l.

riemur, sed multi immutabuntur, quamdiu non est facta, μυστήριον manet (1).

Verbo ut dicamus: h. l. *μυστήριον est res abscondita, latens eo usque, quo sit re et facto patefacta.*

§ 10.

Eph. I. 9 sqq.

. . . . *Γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ κ. τ. λ.*

Ut alibi, ita et h. l. qui *γνωρίζει*, est Deus, vs. 3 sq.; *μυστήριον* vero, quod *γνωρίζει*, *manifestat* Deus, est tale quid, quod *antea* latuit, at *nunc*, Deo moderante, in lucem ponitur, nempe voluntas illa divina.

Quid autem sit illud *μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ*, abunde liquet e vss. antecedentibus, ubi vs. 5 legitur: *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ.* — Ubi quoquo modo accipiatur vox *εὐδοκία*, hoc saltem constat, Paulum hîc intelligere Dei voluntatem, nullâ vi externâ motam, neque aliis rationibus actam, sed liberam, solumque e beneplacito suo, ex eo quod bonum sibi videbatur, e gratuito ergo amore hoc illudve constituentem. Voluntas igitur est genus; *εὐδοκία τ. θ.* voluntatis species.

Haec autem benigna Dei voluntas ideo a Paulo vocatur *μυστήριον*, quia in Deo solo antea erat recondita. Hic enim, vs. 3, 4, jam ante mundum conditum nos in Christo elegerat, ut essemus sancti

---

(1) Cf. Col. III. 3 ubi ἡ ζωὴ Christiana κεκρυμμένη dicitur.

et inculpati in amore: hic, vs. 5, antea jam prae amore decrevit, ut essemus ipsius filii per Christum Jesum; hic, prae gratia sua, vs. 6, decrevit, ut essemus in laudem gloriae gratiae suae.

Ita jam ex antecedentibus videmus, quid sit illa *εὐδοκία τ. θ.*, quare nostro loco *θέλημα κατὰ τὴν εὐδοκίαν* dicat, ac quare hoc *θέλημα κ. τ. ε.* dicat *μυστήριον*. In his autem, quae nostrum locum sequuntur, rem eandem ulterius explicat, nempe quid sit illud *μυστήριον τ. θ.* caet. Etenim est voluntas, qua, secundum beneplacitum suum, jam diu antea apud se ipse constituit tempus adducere aptum, quo in Christo, uno capite, omnia, quae in coelis, et quae in terris sunt, congregare posset; in quo Christo et nos vocati sumus, qui antea jam e decreto divino omnia efficiente eramus destinati, ut ei essemus laudi et gloriae, vs. 9—12.

Satis igitur ex ipsis verbis Paulinis *ἐκλέγειν πρὸ καταβολῆς κόσμου*, *προορίζειν κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ*, *μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ* constat, Paulum hîc intelligere consilium illud divinum, quod jam ante mundum conditum prae gratuito amore cepit Deus de beando genere humano in J. C., per quem perfectionem generis humani spiritualem efficere hominesque ipsius filios reddere voluit, sic vero hos et arcte secum voluit conjungere et vero etiam homines inter se ipsos, et hos cum coelicolis. Hujus autem conjunctionis unum modo caput est, Jesus Christus, in quo nos Deus ad talem conjunctionem elegit, per quem nos filios ipsius futuros esse antea decrevit, ut laudibus extolleremus gloriam gratiae ipsius (1).

---

(1) Cf. FABRAU, *Waarheid in Liefde*, 1840, p. 500—502.

Quid, plura? Verba Pauli satis bene intelliguntur nostrâ etiam omissâ interpretatione, imo suâ vi ac nativâ pulcritudine privantur, si interpretari pergamus. Quare concludere posse videmur, μυστήριον τοῦ θελήματος h. l. esse *Dei consilium, jam ante mundum conditum prae gratuito ipsius amore susceptum, de beando toto genere humano in J. C.; hoc autem consilium* μυστήριον *fuisse antea, quippe in Deo absconditum, donec re et facto manifestabat, patefaciebat, Jesu Christo ipso in terras mittendo*(1).

§ 11.

Eph. III. 3, 5.

Ὅτι κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνώρισέ μοι τὸ μυστήριον ...... ὃ ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνώρισε τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ προφήταις. ἐν πνεύματι.

Mysterium, cujus hîc Paulus meminit, est, Gentes esse cohaeredes cum Judaeis, et ejusdem corporis membra, et participes promissi divini in Christo, per Euangelium, vs. 6.

Promissum illud sine dubio accipiendum esse videtur de promisso a Deo Abrahamo ejusque posteris de felicitate exspectanda dato, cujus promissi meminit jam II. 12, quod uberius exponit Gal. III. 16—19, cuique satisfactum esse semper videt Paulus missione Jesu Christi, quare h. l. addit ἐν τῷ Χριστῷ. Addit autem etiam, quonam medio intercedente Gentes sint cohaeredes, nam in fine hujus vs. 6 ad-

(1) Cf. vs. 6, 7, 11, 12, 13. coll. 17, 18.

dit: *per Euangelium.* Hoc enim esse medium, quo audito ac suscepto salvari possint homines, aperte nobis patet hujus epistolae cap. I. 13, ubi, postquam de Christo, per quem divinum consilium sit patefactum, locutus esset, addit: » in quo et vos (estis), cum audiveritis sermonem veritatis, Euangelium salutis vestrae.« Hoc igitur, ex mente Pauli, medium est, quo intercedente, in Christo quoque sint Gentes.

Res igitur, quae hic agitur, revera non differt ab iis, quas hactenus vidimus Paulum *μυστήρια* vocasse. Namque solenne erat Paulo, consilium divinum de beando genere humano, patefactum in J. C., vocare *μυστήριον*: at vero eandem rem et hic agit, probans, gentiles ac Judaeos esse haeredes et ejusdem corporis membra, ac participes promissi divini, quare et hic consilium Dei prodit universale (1). — Paulus igitur hic specialius de Gentibus agens, partem hujus mysterii exponit, unde et ipse dicit vs. 3^b et 4, Ephesios ea, quae prius de eo in hacce epistola scripserat, legentes, comprehendere posse *ipsius intelligentiam mysterii Christi*; quae verba egregie docent, *mysterium Christi* ab aliis quidem forte aliter intelligi, at *intelligi* tamen posse; nam rei hujus, Divinae in Jesu patefactionis, *suam* intelligentiam et interpretationem memorat Paulus. Esse autem illud *μυστήριον*, Divinam in Jesu patefactionem, satis indicat etiam vs. 5, dicens: » quod aliis aetatibus non fuit cognitum filiis hominum, sicuti nunc illud patefac-

(1) Non obstat nostrae sententiae, quod P. loquatur de *τῇ ἐπαγγελίᾳ*, alibi autem de *σοφίᾳ θεοῦ*: etenim promissum quodvis postulat jam adesse consilium sapiens; imo illud est ipsum hoc consilium verbis expressum.

tum est, sanctis Apostolis ipsius et Prophetis, per spiritum" (1).

Restat quaestio solvenda, *quo modo* hoc μυστήριον sit patefactum? Ipsi Paulo patefactum est *secundum revelationem*, qua dictione, non dubium videtur, quin respiciat ad ipsius J. C. apparitionem, qua Deus ipsi hoc mysterium patefecerat (2). — Neque alia ratione caeteris sanctis Apostolis et Prophetis erat patefactum; nam et his contigerat Jesu Christi apparitio, qua ipsa μυστήριον illud, absconditum antea, nunc patefactum erat. Hoc ex ipsis Pauli verbis εἶναι—χριστῷ, vs. 6, facile erui potest; nam cognitum erat jam sub V. F. promissum divinum, gentes futuras esse cum Judaeis regni Messiani cohaeredes; at res abscondita, μυστήριον, nam nondum facta erat: effecit eam Jesus Christus, adeoque in ipso, in ipsius apparitione, patefactum est mysterium. Hoc confirmatur, si respiciamus ea, quae fusius hac de re praedicarât paulo ante, simul forsan rationem reddentia, cur hîc addat: διὰ τοῦ εὐαγγελίου. Namque de Ephesiis, ad quos scribit, gentilibus, dicit II. 13, 14: »Nunc vero (estis) in Christo Jesu, vos, qui olim longe eratis, facti estis prope sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra; qui ex ambobus fecit unum, et septi interstitium diruit" (3). Non possumus igitur non, quin patefactionem mysterii inveniamus in ipsa J. C. apparitione, ac putemus Pau-

(1) Cfr. de vcc. ἐν πνεύματι, quae diximus ad 1 Cor. II. 10, διὰ τοῦ πνεύματος.

(2) Act. XXII. 17, 21. Quae autem hic invenitur admonitio, idem volebat, quod jam voluerat apparitio Jesu in via Damascena. Cf. Act. XXVI. 16—18.

(3) Cfr. et vs. 16, ubi hoc specialiter morti crucis adscribit, et vss. sqq.

lum ideo *μυστήριον* illud vocare *μυστήριον τοῦ Χριστοῦ*, vs. 4.

Concludimus ergo: Paulo h. l. *μυστήριον* esse *consilium divinum* (aut, si quis malit, *promissum*) *de beandis Gentilibus*, aeque ac Judaeis: idque *μυστήριον* dici, *quia nunc quidem patefactum est in Christo Jesu, sed antea erat modo promissum, non re et facto effectum, ideoque absconditum.*

§ 12.

Eph. III. 9—11.

.... *Τίς ἡ οἰκονομία τοῦ μυστηρίου τοῦ ἀποκεκρυμμένου ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ θεῷ, τῷ τὰ πάντα κτίσαντι· ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ, κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων, ἣν ἐποίησεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν.*

Rem, quam egerat vs. 3, hîc ulterius explicat Apostolus; quare et hi versus quaenam contineant, breviter videndum est. Quandoquidem autem de re loquatur eâdem, non potest non, quin etiam eadem, quae jam habuimus, hîc reperiamus.

Dicit enim Apostolus, vs. 8, 9, sui esse, ut omnibus in lucem ponat »quaenam sit communio mysterii reconditi a saeculis in Deo, qui omnia condidit, ut nota nunc fiat principatibus et potestatibus, quae sunt in coelis, per Ecclesiam multifaria sapientia Dei, secundum decretum aeternum, quod effecit in Christo Jesu, domino nostro."

Haec autem legas modo, ut statim videas iisdem fere verbis exprimi ea, quae nos e locis variis jam eruimus.

Eph. VI. 19.

Neque igitur amplius nos moretur observatio, Paulum in hujus Epistolae fine, VI. 19, loqui de τῷ μυστηρίῳ τοῦ εὐαγγελίου, rogantem Ephesios, ut orent ipsius gratia, ut ipsi detur cum fiducia hoc annunciare μυστήριον.

Quae enim in hac Epistolâ de eâdem re vidimus, nos de hac appellatione reddunt certiores. Laetus nempe ille nuncius, quem annunciare Pauli fuit, quemque μυστήριον vocat, is fuit, quem I. 13 vocat τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν, et commutat cum τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας; — adeoque nil aliud est nisi laetus ille nuncius de J. C., utpote in quo sit patefactum, Deum velle hominum σωτηρίαν omnino omnium (1).

§ 13.

Eph. V. 32.

Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν· ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν.

Cum ex h. l. liqueat, ea, quae hîc dicantur, ex antecedentibus esse eruenda, necesse est ut primo loco de contexta oratione videamus. Prioribus hujus Epistolae capitibus Paulus universe naturam Euangelii, gratiamque Dei patefactam exposuerat. Inde a cap. autem IV universe Ephesios de vita rite instituenda monet; hanc omnem e principio et fonte amoris sese explicare debere injungit (2), atque arctissime hoc amore secum invicem conjungere sese debere Christianos ostendit; — quae omnia commendat

(1) Cff. vss. antecedd. 3—12.

(2) Cf. v. c. IV. 2. 3. 15. 31. 32. V. I. 2. caet.

Jesu Christi, Ecclesiam diligentis, exemplo, ut ita ipsorum vita plane fiat Christi vita, vere Christiana. Quum igitur alia, pro vitae conditione alia monet Paulus, ita et V. 22 seq. arctissima virum inter et foeminam, matrimonio junctos, vult ut sit conjunctio, ita ut unum veluti constituant corpus, cujus caput est vir (vs. 28, 29a, 31, coll. 23). Viri ergo est, uxorem amore summo prosequi, uxoris est, viro obsequium praestare, utriusque, ut se invicem unius habeant corporis membra, suam quisque vitam vix amplius observet, omnia, caeteroquin cara, uxor viro, vir uxori postponat, hi, qui duas constituerant personas, una fiant.

His Paulus addit: τὸ μυστήριον κ. τ. λ. Satis igitur patet, Apostolum haec dicentem antecedentia spectare, et quidem *arctissimam maritum inter et faeminam conjunctionem*, quam versibus antecedentibus per partes descripserat. Etenim dicit τὸ μυστήριον τοῦτο, quod igitur indicat, *id* mysterium, *quod* ultimum dixerat, μυστήριον esse μέγα; quare autem hoc haberi velit *mysterium* idque *magnum* Apostolus, indicat addendo: ἐγὼ δὲ λέγω εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. — Magnum igitur erat μυστήριον id, de quo vs. 31 locutus erat, sed ratione habitâ Christi et Ecclesiae (1). Hoc enim ἐγὼ δὲ κ. τ. λ. non ad praecedens μυστήριον esse referendum, liquet inde, quod Apostolo rei fastigium non hoc sit, ut arcta sit virum inter et uxorem conjunctio, sed ut sit tam arcta viri et uxoris

(1) Cf. de notione praepositionis εἰς inprimis WAHL, in *Clavi N. T. Philolog.* ed. 2da, WINER, l. l. p. 376, 377, et quae RAPHELIUS ad h. l. ex Herodoto et Pausania adduxit, in *Annot. in S. S.* ed. 1731.

conjunctio, quae cum ratione Christum inter et Ecclesiam comparari possit. Etenim conjunctio, qua maritus et uxor in unam coalescant carnem, in unum corpus (1) (*tot één wezen*, nostrates dicunt) magnum erat mysterium, quod conjunctione Christum inter et Ecclesiam unice in luce poni posset. Hanc autem quum Apostolus inde a vs. 23 fusius exposuisset, non dubium est, quin hanc non ignotam quandam intelligat conditionem. Sed uti antea talis arctissima hominum cum divinâ aliqua personâ conjunctio latuerat, ita nunc apparitione sua et opere Christus Ecclesiam prorsus sibi devinctam reddiderat (2), tanto nempe et tali amore ostendendo, quo major cogitari non possit. Sic eam constituerat Ecclesiam inter et se conjunctionem, ut ipse cum Ecclesia unum constitueret corpus indivulsum. Jam vero eadem omnino, quae Christum inter et Ecclesiam, sit conjunctio maritum inter et uxorem. Haec enim conjunctio non tam physico sed potius spirituali amore constet, ita ut alter sentiat, velit, agat, quod sentit, vult, agit alter, verbo, ut duorum vita fiat vita unius.

Hanc igitur necessitudinem maritum inter et uxorem, quam, necessitudinis Christum inter et Ecclesiam comparatione adhibitâ, in luce posuerat, adesse vult inter Ephesios; adeoque commendat rem *hactenus absconditam*, rem, quae adesse debet, nondum autem adest; hactenus igitur μυστήριον, tantummodo explicandum necessitudine Christum inter et Ecclesiam, quae jam adesse inceperat. Eam autem rem nondum affuisse, quum Paulus haec scriberet, neminem fere nunc latet. Deërat enim gentibus anti-

---

(1) Cf. 1 Cor. VI, 16. (2) Cf. inprimis vs. 25 seq.

quis vera matrimonii existimatio (1), qua nos Christiani nunc gaudemus, auctore etiam Apostolo nostro,

(1) Universe enim foeminarum conditio miserrima fuit aetate illa, qua tantum vires physicae ac inde nata fortitudo et virtus bellica summi valebant. — Apud Judaeos v. c. foeminas parvi aestimari, inde constat, quod virgines saepe rerum instar emebantur, et a patribus tantum huic vel illi destinabantur tanquam praemium, (Gen. XXIX. Jos. XV. 16, 17 alibi. Cf. MICHAËLIS, *Mos. Recht.* II, blz. 100, 108—111) adeoque quum mutuus amor non esset matrimonii causa, levissimas ob causas repudiabantur a viris, cujus rei testimonium nobis exhibet N. F. luculentissimum, Matth. XIX. 3 seq., ubi Pharisaei Jesum interrogasse dicuntur, num liceret omnes ob causas uxorem dimittere? Talem enim agendi rationem tunc temporis in usu fuisse, probat horum interrogatio, qua scire tantum vellent, num ex Jesu mente esset *licita*. Rem nostram et probat Judaeorum nostrae aetatis parva foeminarum cura (cf. HURWITZ, *Hebr. Vertell.* p. 297).

Graecorum si quis scire cupiat foeminarum aestimationem, hunc et virilis sexûs fere aestimatio omnis, — et seclusio virginum ac foeminarum a virorum consortio, — et ratio qua prima aetate filiae patri, ac posterâ uxores marito, cui revera vendebantur, totae quantae essent submissae ac paene servae, — imo quâ matres ipsae filiis adultis essent subjectae, persuasum reddent de parva foeminarum aestimatione. Cf. de variis aetatibus: VAN LIMBURG BROUWER, l. l. Tom. I. Part. I. p. 145—163. Tom. II. P. II. p. 80 sqq.

Romanorum, ultimis saltem reipublicae temporibus, divortia innumera, et horum causae magis magisque faciles redditae, parvam etiam sexûs foeminini probant aestimationem, quod mirum accidere nullo modo potest cogitanti, populum hunc civitati tantum operam suam omnem navasse et soli huic vixisse. Cf. ADAM, *Röm. Alterthüm.* II, 281—286, et auctores ibi laudatos.

Confirmatur sententia nostra miserrimâ, quae est inter gentes hodiernas, parum cultas, foeminarum conditione ac aestimatione nulla, quum foemina ibi pecudis fere instar habeatur. Cf. BASTHOLM, *Geschiedk. Bijdr. tot de kennis van den mensch in zijnen wilden en onbeschaafden staat*, 1820, bl. 277—304, et universe de populorum antiquorum ac recentiorum aestimatione foeminarum et matrimonii c. MEPPELIS, *Disput. de Matrimonio*, Gron. 1840, p. 25—36.

qui, ex intima religionis Christianae natura, hanc ipso loco matrimonii vere Christiani indolem derivavit. Ipsius enim Jesu Christi utitur exemplo, unde nuptiarum praestantiam et vim explicet. Etenim ille nihil non et egit et perpessus est, quo Ecclesiam sanctificaret totam quantam, adeoque Christianos omnes ejusdem habuit generis, cujus ipse est, et in sui similitudinem eos adducere est conatus, vs. 26, 27, 30. Idem urget etiam Epistolae ad Hebraeos scriptor, qui, nisi Paulus, certe e schola Paulina fuit (1): *ὅ, τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες· δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν, κ. τ. λ.*

Quatenus igitur haec res, talis viri foeminaeque conjunctio, tale matrimonium, ex Pauli mente nondum adest, eatenus est *μυστήριον*, quod patefactum iri persuasum sibi habet Apostolus; neque immerito; nam Ecclesia magis magisque, historiâ testante, secundum Pauli vota ac persuasionem matrimonium contemplata est et celebrandum curavit (2).

§ 14.

Col. I. 26.

Τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, νυνὶ δὲ ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, κ. τ. λ.

Quum haec Epistola Paulina universe multa communia habeat cum ea, quae ad Ephesios scripta est,

(1) Cap. II. 11.

(2) Cf. PORTIUS, *De gelukkige uitwerkselen van het Christendom op de tijdelijke belangen der menschen*, enz. 1807. bl. 6—11.

non mirandum sane, etiam loca ad nostrum argumentum pertinentia maxime illustrari utraque epistolâ collatâ (1).

Patet hîc, collatis antecedentibus, Paulo idem esse illud *μυστήριον κ. τ. λ.*, ac *λόγον τοῦ θεοῦ*, vs. 25*b*, et Paulum quo hunc *sermonem* explicet, illud *mysterium* addere. Quid vero sibi velit h. l., ex antecedentibus manifestum fit, ubi se *διάκονον* vocat *τοῦ εὐαγγελίου τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει*, quae igitur probant, Paulum, vs. 24, 25 se dicentem Ecclesiae *διάκονον*, ad implendum *τὸν λόγον τοῦ θεοῦ*, eadem quae ibi agere.

Quid autem sit argumentum hujus *εὐαγγελίου* ac *λόγου*, explicat vs. 13 seq., ubi fere dicit: »Deus nos transposuit in regnum Filii sui, in quo habemus redemtionem per ipsius sanguinem, veniam peccatorum; — qui est imago Dei non adspectabilis, *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*. Et ipse est caput corporis, Ecclesiae, qui est principium, primogenitus e mortuis, ut inter omnes primas teneat. Nam Deo placuit, ut habitet omnis in Christo plenitudo et ut per ipsum reconciliet omnia secum, pace facta per sanguinem crucis ejus; per hunc et vos antea abalienatos nunc reconciliavit morte carnis ejus, ut vos redderet sanctos et inculpabiles et irreprehensibiles coram ipso." — Haec constituunt igitur *τὸν λόγον τοῦ θεοῦ*, quem *ἐπλήρωσε* Paulus, nuncium, a Deo ipsi commissum de beando genere humano per Jesum Christum (2).

---

(1) Cf. hanc in rem A. VAN BEMMELEN, *Diss. de Epp. Pauli ad Ephes. et Coloss. inter se collatis*, 1803, maxime p. 37 seq., 63 seq.

(2) Idem est hic *λόγος τοῦ θεοῦ* igitur ac *τὸ εὐαγγέλιον*, quare et saepius commutantur; uti probavit VAN STAVEREN, l. l. p. 51—54.

Hic autem λόγος est μυστήριον, quia ab aevis et generibus multis inde fuit absconditum, nunc autem patefactum. Et patefactum nunc est, quia »voluit Deus annunciare, quae sit ubertas gloriae hujus mysterii, quae est Christus in vobis, spes gloriae, quem nos annunciamus." — Hoc igitur mysterium, sive nuncius Dei, qui antea absconditus erat, se nempe velle beare genus humanum, patefactum est in ipso Jesu Christo: nam patefactum est »sanctis, quibus voluit Deus patefacere, quae sit ubertas gloriae mysterii hujus, quae est Christus in vobis, quem nos annunciamus."

Hic igitur Christus, a Paulo annunciatus, est ipse patefactio mysterii, velle Deum beare genus humanum. Hic est λόγος, quem, gubernante Deo, Pauli fuit πληροῦν.

Concludimus ergo, rem, quam Paulus hîc μυστήριον vocat, esse *Euangelium*, h. e. *nuncium de Jesu Christo, utpote in quo sit patefactum divinum consilium de beando genere humano* (specialiter hîc, de Gentilibus beandis); *quod ideo μυστήριον dicitur, quia ab aevis multis inde erat absconditum, sive nondum re et facto patefactum.*

Eandem rem tractare Paulum II. 2, ubi loquitur de μυστηρίῳ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ, cuivis pateat necesse est.

§ 15.
Col. IV. 3.

Προσευχόμενοι ἅμα καὶ περὶ ἡμῶν, ἵνα ὁ θεὸς ἀνοίξῃ ἡμῖν θύραν τοῦ λόγου, λαλῆσαι τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, δι' ὃ καὶ δέδεμαι.

Hic locus (qui eadem continet, at verbis paululum mutatis, quae Ephes. VI. 19, ac inde multum lucis

accipit) indicat Paulum hîc agere de toto praeconii sui opere et hoc vocare: *λαλεῖν τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ*. Christus est igitur (uti antecedentia probant, in quibus *μυστήριον* Christum a nobis annunciatum dicit) hîc objectum (1), cujus igitur mysterium ipse tradit.

Quum ergo aliunde satis lucis huic loco, tam quoad argumentum, tam quoad formam mysterii, affundatur, et ipse locus hoc satis aperte indicet, nempe Apostolum de hoc jam antea egisse, non opus videtur, ut hîc diutius moremur. Sufficiat observasse, Paulum h. l. dicere *τὸ μυστήριον τ. Χ.*, quod Eph. VI. 19 *μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου*, et *λαλεῖν τ. μ. τ. Χ.*, quod 1 Cor. IV. 1 vocat se aliosque esse *οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ*. Eandem igitur rem variâ indicat ratione.

§ 16.

2 Thess. II. 7.

Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται.

Non abs re videtur, et hîc pauca de oratione verborum contexta praemonere; sensus enim cum antecedentibus est junctus, quod vox *γὰρ* satis indicat.

Cap. I Deo gratias agendas esse dicit pro Thessalonicensium fide et amore crescente; adesse enim quidem angustias vexationesque hostium rei Christianae, sed has esse in testimonium judicii justi Dei, qui nempe Euangelio Jesu Christi non obedientes per hunc sit poenis afflicturus, gloriam autem suam

---

(1) Cf. WINER, l. l. p. 172.

patefacturus in iis, qui fidem ipsi habeant, cujus gloriae etiam participes fore Thessalonicenses indicat, addendo, ipsos fidem habuisse μαρτυρίῳ suo aliorumque Euangelii praeconum.

Postquam Paulus hanc praesentiam Jesu Christi ita fusius descripsisset, cap. II ita pergit: ἐρωτῶμεν δὲ κ. τ. λ., ubi igitur, uti particula adversans δὲ indicat, respicit antecedentia. Monet, ne hunc domini adventum mox instantem putent (vs. 1. 2): etenim prius locum habituram esse defectionem (1), et patefaciendum esse hominem peccati, filium perniciei, caet. (vs. 3. 4), quam haec παρουσία locum sit habitura. Etenim hanc patefactionem retineri eventu quodam, Thessalonicensibus jam cognito, indicat vs. 5, 6, hujusque reddit rationem vs. 7, uti ex particula γάρ, rationem praecedentium reddente, liquet.

Si denuo antecedentia breviter perstringimus, constare nobis videtur, *primo*, Paulum, c. II. 3, 4 eosdem ante oculos habere, quos I. 7, 8; etenim, quos II. 4 accurate describit, revera sunt quos I. 8 appellat μὴ εἰδότες θεόν: et quos hîc appellat »non obsequium praestantes Euangelio Jesu Christi," sunt iidem, quos II. 3 vocat ἀνθρώπους τῆς ἁμαρτίας κ. τ. λ. (2): — et *secundo*, id, quod I. 8 vocat μὴ ὑπακούειν τῷ εὐαγγελίῳ et II. 3 servire τῇ ἁμαρτίᾳ, vocari II. 7, 8 τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας ac ipsum agentem ἄνομον (3). Namque et in ultimis locis ser-

(1) Ab Euangelio J. C. cf. I. 8, vel a fide Jesu Christo habita, uti v. c. dicitur 1 Tim. IV. 1 seq.

(2) Confirmatur hoc eo, quod utroque in loco de horum ἀποκάλυψει est sermo.

(3) Qui vs. 3 vocatur ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας.

mo est de eadem patefactione, quae adventu Domini Jesu Christi locum sit habitura, et qua (uti fusius describitur vs. 12) judicabuntur illi ipsi, qui veritati non crediderint et delectati sint τῇ ἀδικίᾳ. De his nobis cum persuasum sit, facilius est de vs. 7, ad quem redimus, judicium ferre.

Non opus enim fere esse videtur, observare, rem, quam hîc agit Paulus, revera pertinere ad disquisitionem nostram, quod non ita esse fortassis primo obtutu haberi possit. Agit enim Apostolus de *perversitate in Ecclesia Christiana*, sive magis universali, sive in nonnullis quibusdam aut singulari quodam Christiano conspicienda, quae graviter *judicanda* sit *apparitione Domini Jesu Christi.*

Ipso illo versu 7 rationem reddit eorum, quae vs. praecedente dixerat de eo, quod hucusque impediat, quominus homo peccati caet. jam nunc sit patefactus. Etenim ipse affirmat jam operari τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας, sin modo e medio esset sublatus retinens ille; quo sublato patefieret certissime.

Haec igitur ἀνομία adhuc erat μυστήριον. At quare? Non, quia eam affuturam esse Thessalonicenses latebat; etenim hoc jam Paulus iis abunde exposuerat. At, quia nondum adesset? Non ita; Paulus enim affirmat hanc ἀνομίαν jam operari, proprie: *vires colligere*, hactenus igitur jam adesse.

At res ex Pauli mente ideo adhuc est μυστήριον, quia nondum facto talis, qualis revera esset futura, apparuerat, nondum ad hunc eventum justum adesset tempus, ὁ καιρός, vs. 6. Etenim quamvis adesse inciperet (1), aliquatenus ergo jam adesset, tamen eam

---

(1) Accurate hoc exprimit versio Gallicana: *(il) se met en train.*

non observabant homines, nec talem, qualis esset futura, cognoscebant; neque enim universe hominibus cognita erat, sed modo eatenus, quatenus de ea coram ipsis locutus erat Paulus, vs. 5, 6. Deinde autem patefiet μυστήριον, h. e. re et facto, qualis sit, apparebit; uti Paulus ipse disertis verbis vs. 8 dicit, ἀποκαλυφθήσεται.

Ne multis moremur, notionem μυστηρίου h. l. invenimus hanc, id esse *rem tam diu absconditam, quamdiu nondum facto in plena apparuerit luce.*

§ 17.

1 Tim. III. 9.

. . . . . ἔχοντας τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει.

Ex iis, quae hactenus de τῷ μυστηρίῳ vidimus, et ex epistolae hujus argumento, constare nobis videtur, Paulum hîc agere de *objecto fidei*, adeoque de ipso Jesu Christo (1), cui fides habetur. Ut alibi, ita hoc etiam nobis patet, collato hujus Capitis vs. 16, ubi ad τὸ μυστήριον refertur, »quod sit Jesu Christo fides habita in mundo." Eodem modo et hujus Capitis vs. 13 πίστιν definit τὴν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (2). — Universe etiam, uti in loco nostro, de τῇ πίστει agit Apostolus I. 19. II. 7 (ubi se doctorem gentilium *in fide et veritate* appellat).

Ne nimis fiamus prolixi (nam locus ipse de hac re nos non certiores reddit), hic desinamus concludentes, Paulum hîc agere de objecto fidei, nempe Jesu Christo, qui hunc in mundum venit et omnibus

---

(1) Cf. Eph. VI. 19: μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου.

(2) Cf. I. 14.

gentilibus est annuntiatus, quique ipse est patefactio consilii divini antea absconditi (coll. vs. 16). Quatenus autem fides huic Jesu nunc habita, antea ei non est habita, eatenus antea abscondita fuit et nunc est patefacta; eatenus ergo hanc fidem Paulus vocat *μυστήριον*.

§ 18.

1 Tim. III. 16.

Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· Ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ.

Tali ratione hic locus a GRIESBACHIO, VATERO, HEINRICHSIO (1), MUNTINGHIO (2), aliisque, legitur et disponitur; dum alii voces *στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* referunt ad vs. 15, ut sint apposita voci *ἐκκλησία*. Nostram disponendi rationem praeferendam esse, ex antecedentibus et subsequentibus defendi posse contendimus. Etenim Paulus, vs. 15 incertus an cito ad Timotheum venire possit, non inutile duxit in Ecclesiae salutem, ei inculcare ea, quae sint in religione Christiana praecipua ac palmaria. Injungit igitur, vs. 16, quid praecipuum ac palmarium sit in religione Christiana, quare ad vs. hunc, ut rite procedat sensus, intelligi debent verba vs. 14 *ταῦτα γράφω*, adeoque vs. 15 parenthesi inclusus habendus est. Confirmatur nostra sententia, positâ ante vc. *ὁμολογουμένως* particula *καὶ*, quod sequentia cum antecedentibus jungit. Si

(1) In *N. T. ed. Koppiana*, Vol. VII. 1798, ad h. l.
(2) *Theol. Christ.* ed. *2da.* II. 286.

nempe periodus, inde a vocibus *στύλος-ἀληθείας*, referenda esset ad vocem *ἐκκλησία*, langueret oratio: quomodo enim ad talem sententiam quadrent quae sequuntur *καὶ ὁμολογουμένως?* Quonam referantur? Praeterea etiam sequentia confirmant, ita esse legendum et disponendum locum: postquam enim praecipuum et palmarium religionis Christianae dogma, ejusque fundamentum proposuisset, pergit IV. 1 dicendo, non omni tempore omnes hoc dogma praecipuum ac palmarium habituros esse. Et ita, hisce nempe expositis, IV. 6 redit ad id, de quo dixerat III. 15, quali nempe ratione ipsi esset versandum in Ecclesia Christiana.

Haec, quae de dispositione loci praemonenda esse videbantur, faciliorem nobis ad alia aditum praebebunt.

Facillime visu est, omnia, inde a verbis *ὅς-δόξῃ* a Paulo referri ad *τὸ μυστήριον*. Illa igitur, quae ibi effatur, constituunt ex Pauli mente *τὸ μυστήριον μέγα* et *τὸν στύλον καὶ τὸ ἑδραίωμα*. — Ratio cur Apostolus hîc voci *μυστήριον* addat articulum, quaerenda est in eo, quod sit subjectum orationis accurate definiendum.

Quamvis caeteroquin non nostrûm est, tantas, quantae de lectionibus *ὅ*, *ὅς* et *θέος* agitatae sint, componere lites, tamen addere lubet, rem quod ad nostrum argumentum attinet, eodem redire, cum ab omnibus saltem concedatur, sermonem esse de Jesu; novissimis autem temporibus praeferri lectionem *ὅς*, ut v. g. fit a GRIESBACHIO, HEINRICHSIO, VATERO, aliis.

Jam vero dictionem *ὅς–σαρκὶ* referendam esse ad Jesu in terris apparitionem, et convenire cum iis, quae JOHANNES dicit: *ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο*, neque est

quod ulterius probemus. — Hicce autem Jesus Christus, qui in carne apparuit, ἐν πνεύματι ἐδικαιώθη. Respondere verba ἐν πνεύματι verbis antecedentibus ἐν σαρκὶ, quisque facile videt. Jam vero hoc δικαιοῦν significat vulgo: *declarare rem esse talem, qualis esse debeat* (1). Paulus igitur, divinam Jesu missionem ante oculos habens, et hanc maxime comprobatam videns in ejus e morte resurrectione, hanc etiam hîc videtur innuere (2). Δικαιοῦν autem difficile referri potest (3) ad miracula a Jesu patrata, quippe quae ab ipso Jesu non praecipuae operis sui partes habentur, sed necessaria modo ob carnalem Judaeorum istius temporis conditionem. Paulus igitur, qui miraculorum a Jesu patratorum fere nusquam mentionem facit, minus verisimiliter hîc ad miracula, *comprobantia* Jesum *talem*, *qualis esse debeat*, attendere, haberi potest.

Ἐδικαιώθη autem Jesus ἐν πνεύματι! Quid sibi velint haec ultima? Videmus haec verba opponi verbis antecedentibus ἐν σαρκὶ, quamvis, si consideretur locus fere parallelus Rom. I. 4, fortasse animus Pauli fuit scribere κατὰ πνεῦμα. Etenim, uti antecedentia spectant Jesu naturam humanam, quatenus est sensualis, ita haec spectant ejus naturam, quatenus est spiritualis. Hoc vero πνεῦμα est, secundum

---

(1) Cf. STORR. l. l. (*de vario sensu vocis δίκαιος, et cognatarum in N. T.*) inpr. p. 247, et alibi.

(2) Cf. e. c. Rom. I. 4, ubi J. C. resurrectione e mortuis Dei filius comprobatus esse dicitur; et 1 Cor. XV. 3, 4, 17, ubi praedicatio J. C. et fides ipsi habita arcte cum τῇ ἀναστάσει cohaerent; et Phil. III. 10, ubi Paulus distinguit inter cognitionem J. C. et vim ipsius resurrectionis, Rom. X. 9.

(3) Uti interpretes nonnulli agunt, cf. LEUTWEIN, *Apostolische Briefe*, II. B. 1784, ad h. l.

Rom. I. 4, πνεῦμα ἁγιωσύνης, πνεῦμα igitur quo homines sancti reddantur. Per hocce πνεῦμα igitur declaratus est talis, qualis esse debuit. Vita enim ejus tota erat occupata, ut sanctificaret homines, ut regnum inter ipsos conderet sanctum, divinum. Hujus autem vitae primarium, uti supra vidimus, occupabat locum resurrectio, quam igitur h. l. spectasse Paulum quam verisimillimum ducimus.

Hicce autem Jesus Christus ὤφθη ἀγγέλοις. Optime haec videntur intelligi de ipsis Jesu Christi, maxime *resuscitati*, nunciis ac testibus. Etenim ab Angelis esse visum, quid sibi h. l. vult? Quid hujus rei commemoratio faciat ad id, quod Paulus vocat στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας? Jesus quidem visus est ab Angelis, eorumque ministerio fruitus est; nusquam autem ipse aut ipsius Apostoli hoc inter res primarias rei Christianae habendum esse volunt. Verum enim vero, si de Apostolis aliisque testibus resurrectionis hoc dictum esse accipiamus(1), atque adeo primam vocis ἀγγέλος significationem, *nuncii* quippe, *legati*, retineamus, facilius haec periodus intelligitur, et arcte cum periodo antecedenti ἐδικαιώθη κ. τ. λ. cohaeret. Magis sublime et poëtice igitur hîc enunciat Paulus, quod simplicius 1 Cor. XV. 5 seq., et Lucas Act. I. 3.

Confirmatur nostra sententia eo, quod identidem Apostoli urgent se esse nuncios Jesu Christi ac testes, inprimis autem Jesu Christi, e mortuis resuscitati. Resurrectionem enim e mortuis fundamentum praeconii de eo habebant(2), idque ex ipsius Jesu mandato (3). Hoc et erat primarium, quod require-

(1) Quod et agit LEUTWEIN, l. l. in h. l.
(2) e. g. Act. II. 32. III. 15. IV. 10, 20. XIII. 30—32.
(3) Luc. XXIV. 46—48.

bat Petrus in eo, qui loco Judae proditoris in numerum Apostolorum vocaretur (1). Magis etiam ita haec periodus cum sequenti cohaeret, ubi nempe mentio fit praedicationis Jesu Christi et fidei ipsi habitae. Haec enim post ejus resurrectionem et in coelos adscensum locum habebant et vim suam exserebant, ideoque haec statim simul memorantur (2).

Non omittendum autem videtur, Paulum temporis ordinem in oratione sua non quidem accurate observasse, quod probant voces: ἀνελήφθη κ. τ. λ. Hae voces, quomodocunque intelligantur verba ἐν δόξῃ, sane intelligenda sunt de ejus in coelum adscensu,

---

(1) Act. I. 21, 22.

(2) Hanc interpretationem etiam tuetur novissimus interpres G. E. LEO in *Comm.* ad hanc *Ep.* Lips. 1837: cui autem interpretationi fere objicitur, vocabula ἀγγέλος et ἀπόστολος in N. T. nusquam esse synonyma. Huic responderi potest, *primo* vc. ἀγγέλος non sensu strictiori esse intelligendum de XII Apostolis, sed de omnibus Jesu resuscitati testibus, cf. Act. I. 21, 22. I Cor. XV. 5—8, et vocem ἀγγέλος in N. T. de *nuncio* Jesu Christi interdum adhiberi, constare videri e Matth. XXIV. 31, ac significatione *legati nunciive* diserta occurrere Jac. II. 25. Luc. VII. 24. IX. 52; — *secundo* epistolam I ad Timotheum »habere idiomata sua et loquendi rationem, »quae nusquam in scriptis Paulinis, et vero etiam in omni N. T. »ita usurpantur," ut probe observavit Ven. J. F. BECKHAUS, in *Spec. observ. crit. exeg. de vocabulis* ἅπαξ λεγομένοις *et rarioribus dicendi formulis in* 1 *ad Tim. ep.* caet. 1810. p. 49; — *tertio*, hîc non anxie de voce ἀγγέλος esse cogitandum, si probari possit sententia eorum, qui hoc comma esse hymni cujusdam antiqui ecclesiastici fragmentum statuunt, cf. HEINRICHS in Excurs. ad h. l. Notissimum enim est, poëtas saepe vocabulis uti significatione minus solitis. — Observatu dignum est, quod interpretum antiquiorum conjungendam utramque interpretandi rationem censet J. G. ALTMANN, (*Meletem. Philolog.-Critica.* 1753, II. 280 sqq.), et intelligat: »per angelos omnes adeo ordinatos legatos, sive spiritus coelestes, sive publicos in terra Jesu Christi legatos."

uti eadem verba in eadem re narratâ probant. — Vario enim modo accipiuntur haec verba ἐν δόξῃ, his ea referentibus ad δοξὴν, quâ fruebatur antea apud Patrem (1), illis ad naturae phaenomena, quibus apparentibus in coelum sublatus est Jesus. Harum autem interpretandi rationum priorem nostram facimus, vel hanc ob causam, quod historici N. T. nullam mentionem faciunt insigniorum naturae phaenomenorum, solummodo vero dicunt, nubem ipsum ab oculis discipulorum abstulisse.

Itaque hic Jesus Christus, de quo haec omnia dixerat, erat τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Quid sibi haec velint? Patet facillime esse sermonem de εὐσεβείᾳ Christianorum, de qua constanter a Paulo vox usurpatur (2). Quo sensu cum accipienda sit εὐσεβεία, τὸ μυστήριον esse facile liquet modum, quo per Jesum Christum homines reddantur εὐσεβεῖς. Quare, recurrentes ad ea, quae jam hac de re vidimus, Paulus nobis de eo agere videtur, quomodo antea ab omni parte esset absconditum, Deum velle et posse homines εὐσεβεῖς reddere per Jesum Christum; — quae res, ex Pauli mente, adhuc μυςήριον videtur esse iis, qui Jesu Christo nondum fidem habeant plenam et certam.

Quamvis caeteroquin non disertis verbis exprimat Paulus, se agere de μυστηρίῳ patefacto, id tamen liquet ex I. 15, ubi dicit Jesum Christum in mundum venisse, ut servaret peccatores (his igitur εὐσε-

(1) Joh. XVII. 4.

(2) Cf. v. c. hujus epist. II. 2 ubi loquitur de vita in omni εὐσεβείᾳ transigendâ; — IV. 7, 8 ubi Timotheum monet, ut se exerceat in εὐσεβείᾳ, quippe quae habeat promissum vitae praesentis ac futurae; — et IV. 3, 5, 6, 11. 2 Tim. III. 5. Ita et Paulus in Ep. ad Titum I. 1 ἀληθείαν dicit κατ' εὐσέβειαν.

βείαν praeberet), et ex 2 Tim. I. 9, ubi, loquens de Deo, dicit: »qui salvavit nos, et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum ipsius decretum, et gratiam nobis datam in Christo Jesu, ante tempora aeterna, nunc autem patefactam apparitione salvatoris" caet. Hoc insuper et ex ipso loco, de quo agimus, luculenter liquet; namque Paulus Jesum Christum, quem *μυστήριον* vocat, *φανερωθέντα* dicit.

Concludimus ergo, *τὸ μυστήριον* h. l. esse *ipsum J. C., in cujus nempe apparitione, resurrectione e mortuis, in coelum adscensu, in quo annunciato et fide comprehenso, quam maxime re et facto sit patefactum divinum consilium, antea absconditum* (*μυστήριον*), *de beando genere humano per ipsum* (1).

---

(1) Cum haec de locis Paulinis vidimus, quae *τῶν μυστηρίων* mentionem faciunt, duo addere lubet loca, in quibus quidem non occurrit vox *μυστήριον*, attamen de eadem re agitur, et ex quibus luculentissime liquet, quomodo quid ex Pauli mente patefiat.

Hanc in rem citamus Tit. I. 2, 3, ubi dicit Paulus: »ad spem vitae aeternae, quam Deus, mentiri nescius, promisit (*ἐπηγγείλατο*) ante tempora aeterna: patefecit vero sermonem (*τὸν λόγον*) suum justis temporibus, praedicatione, quae mihi est credita" caet. Qui locus (in quo, uti sponte patet, inter se permutantur *ἐπαγγελία* illa *θεοῦ* et *λόγος αὐτοῦ*, quare vox *λόγος* ipsa illa verba, quibus *ἐπαγγελία* sit expressa, significare sive continere videtur) igitur agit de praedicatione Jesu Christi, utpote in quo sit patefacta illa vita aeterna, quam Deus antea jam promiserat.

Nec minus id patet, si legimus 2 Tim. I. 9, 10, ubi audit de Deo: »qui servavit nos et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum ipsius consilium (aut: decretum) antea sumtum, et gratiam datam in C. J. ante tempora

CAPUT II.

Exponitur Johannis Apostoli sententia.

§ 19.

Apoc. I. 20.

Τὸ μυστήριον τῶν ἑπτὰ ἀστέρων, ὧν εἶδες ἐπὶ τῆς δεξιᾶς μου, καὶ τὰς ἑπτὰ λυχνίας τὰς χρυσᾶς. Οἱ ἑπτὰ ἀστέρες, ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσι· καὶ αἱ ἑπτὰ λυχνίαι, ἑπτὰ ἐκκλησίαι εἰσί.

Quae hoc vs. dicit, ipsi erant scribenda, quod indicat vs. 19. Jam vero, uti ex praecedentibus liquet, viderat Apostolus ipsum Jesum Christum, stantem inter septem candelabra, et manu gestantem septem stellas. Hoc visum ipsi erat *μυστήριον*, quatenus nempe quid significaret, ipsi esset reconditum. Hoc *μυστήριον* vero ipse Jesus Christus sibi in plena luce ponit, explicans id, quod erat reconditum de septem illis candelabris, haec nempe esse septem Ecclesias (Asiaticas, quarum nomina mox recenset).

Videmus igitur, ex Johannis mente *τὸ μυςήριον* h. l. esse *rem reconditam eo usque, quo in plena posita est luce.*

---

aeterna, sed nunc patefactam per apparitionem Servatoris nostri Jesu Christi, qui" caet. Hic igitur disertissimis verbis exprimit Apostolus, *apparitione Jesu Christi* (adeoque re in facto positâ) *patefactam* esse gratiam, antea nobis destinatam in C. J., — patefactum esse consilium illud.

Haec igitur loca, quum antea a nobis dicta quam maxime illustrent, imo ipsis paene verbis, quibus nos usi sumus, exprimant rem tractatam, non inaniter videntur addita.

§ 20.

Apoc. X. 7.

Ἀλλὰ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς φωνῆς τοῦ ἑβδόμου ἀγγέλου, ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν, καὶ ἐτελέσθη τὸ μυστήριον τοῦ Θεοῦ, ὡς εὐηγγέλισε τοὺς ἑαυτοῦ δούλους τοὺς προφήτας.

Ipsa verba indicant, sermonem esse h. l. de re, quae nondum erat facta, ideoque abscondita, a Deo vero annunciata tanquam futura, ideoque deinde, manifestanda. Loqui enim auctorem de re nondum facta, probant verba, quibus indicat, nondum esse consummatum *τὸ μυστήριον* (1). Est autem hoc mysterium consilium divinum, quod, adhuc absconditum, manifestandum esse, jam antea Deus servis ipsius et Prophetis annunciaverat. Hoc igitur absolutum sive patefactum iri re et facto, jam locus noster ipse videtur indicare; at insuper liquet ex XI. 15, quo clangisse dicitur septimus Angelus, ac voces magnas auditas esse; quae res nostro loco tempus consummationis *τοῦ μυστηρίου* exhibetur.

Res autem, quae (2) ex hoc consilio divino, abscondito, locum esset habitura, et ex Apostoli mente revera locum habuit (3), est *victoria, quam res Christiana reportavit de regnis terrenis* (adeoque Christi regno spirituali infensis).

H. l. igitur *τὸ μυστήριον* est res abscondita, sive nondum re et facto patefacta, sed adhuc patefacienda (et quidem eo tempore, quo res, de qua agitur, fiat); id est *res abscondita eo usque, quo re et facto sit patefacta.*

---

(1) *Τελεῖν* enim est *finem facere, absolvere, perficere, efficere*, pass. *finiri, absolvi, consummari.*

(2) Cll. nostro loco. (3) Cll. XI. 15.

§ 21.

Apoc. XVII. 5, 7.

... καὶ ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῆς ὄνομα γεγραμμένον· Μυστήριον. Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς.

Versu hoc igitur jam exponitur, quodnam sit illud μυςριον, scilicet, βαβυλὼν ἡ μεγάλη κ. τ. λ., qua ratione nempe appellabatur mulier. Jam vero hoc μυςήριον esse in luce ponendum probat vs. 7, quo dicitur: ἐρῶ τὸ μυςήριον κ. τ. λ.

Id autem in luce ponitur hujus Capitis vs. 18, quo ita exponitur: ἡ γυνὴ ἔςιν ἡ πόλις ἡ μεγάλη ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς. — Quatenus igitur hoc nomen (1): βαβυλὼν caet., nondum erat explicatum, eatenus a Johanne habetur μυςήριον: quando autem est explicatum, esse tale desinit, uti plenissime etiam confirmari videtur conferendis II. 17. XIII. 1. 17. 18. XIX. 12.

Constat igitur Johanni h. l. μυςήριον esse, *rem eo usque ignotam*, *absconditam*, *dum*, *quaenam sit*, *explicetur* (2).

---

(1) Si cum LANGIO (*Schriften Johannis.* 1795. Th. I. ad h. l.) deleamus punctum post vc. γεγραμμένον positum, et legamus: *geheimnisvolle Name*, nihilominus nostra sententia fere nil immutatur.

(2) Non abs re autem esse ducimus, hic paucis addere, quod alibi de modo, quo quid patefiat in re Christiana ex mente JOHANNIS, scriptum invenimus.

Hic igitur non possumus non adjungere, quae scripsit primae Ep. I. 1 seq., quo dicit: »quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, quod manus nostrae contractarunt de verbo vitae, annunciamus vobis." Et quid sit haec vita, indicat vs. 2: »et patefacta est

§ 22.

Conclusio.

Ita, pro virium nostrarum ratione, partem disputationis primam absolvimus, ac transire possumus ad ejus partem alteram tractandam. Prius autem, quam hoc agamus, lubet uno adhuc obtutu, quae hactenus disputavimus, ob oculos ponere.

Hoc agentes primo loco videmus, JESUM vocasse totum opus suum, cui peragendo in mundum venit, condere hisce in terris *Regnum coelorum* seu *Dei*, hoc igitur opus vocasse *μυστήριον* (per partes spectatum, *μυστήρια*). Et inquirentibus nobis, quid ex ipsius sententia essent *μυστήρια*, patuit, esse *res absconditas*, *latentes* antea, et quidem hanc ob causam, quandoquidem nondum re et facto adessent et conspici possent; nec tamen harum rerum futurarum notitiam majorem minoremve latere vel latuisse antea: ut primum vero res illae sive cognitae sive in-

---

vita, et nos vidimus, et testamur, et annunciamus vobis vitam illam aeternam, quae erat apud Patrem et nobis conspicua est facta." Annunciat igitur Apostolus res in facto positas, quibus illa vita sit patefacta, uti nemo non videt. Ita et, vs. 19, eo ipso, quod »multi e nobis exierint," *patefactum* est, »non omnes ex nobis esse;" c. III. 2 habetur: »nondum *patefactum* est, quid futuri simus, sed *scimus*" caet.; igitur futura nostra conditio res non est ignota, sed nondum re factoque ostensa, patefacta.

Luculentissime exprimit id, quod agimus, c. IV. 9, dicendo: »in hoc amor Dei patefactus est in nobis, quod Deus Filium suum unigenitum miserit in mundum, ut viveremus per ipsum." Hic igitur locus, et alia a nobis citata, satis probant, ex JOHANNIS mente, uti eam haec Ep. exhibet, *patefieri* quid aut *patefactum* esse in re Christiana *rebus in facto positis*. Cf. insuper II. 28. III. 2, 5.

cognitae *re et facto* adesse incepissent (easque tales agnovissent homines), *μυστήριον cognitum*, *patefactum esse.*

Paulus si auditur, liquet nobis, ipsum *μυστήριον* vocasse *consilium* sive decretum *divinum*, quod ante saecula et mundum conditum ceperit Deus prae gratuito suo amore, de beando genere humano omni per Jesum Christum: partes vero hujusce consilii etiam spectasse ac ideo vocasse *μυστήρια*, *Judaeorum in rem Christianam conversionem*, *Gentiles etiam esse rei Christianae participes ac socios*, *arctissimam viri foeminaeque conjunctionem*, *hominum resurrectionem sive immutationem futuram*, *fidem Jesu Christo habitam*, *perversitatis in re Christiana obviae judicium futurum.* Quaerentibus vero nobis, quid ex Pauli sententia sint *μυστήρια*, patuit ea esse partim *patefacta*, partim *nondum patefacta*, seu *patefacienda.* Illa ipsi sunt *res* temporibus aeternis *celatae*, *reconditae* ante saecula apud Deum, imo ante mundum conditum, et quidem ideo, quia nondum erant patefactae, et eo usque quo re et facto essent patefactae: *patefacta* vero sunt haec *μυστήρια*, ut primum res illae (quae erant antea absconditae) adessent re et facto. Haec ipsi sunt *res nondum factae*, *adhuc futurae* (minime vero incognitae), quaeque esse desinunt *μυστήρια* (sive fiunt *μυστήρια* patefacta), statim ac res illae futurae adesse inceperint re et facto (sive tales, quales sint, apparuerint).

Johannes Apostolus si consulitur, liquet hunc *μυστήριον* vocasse *futuram rei Christianae victoriam*, quam rem ipsi ideo esse *μυστήριον* vidimus, quia adhuc latet, id est, nondum adest, et tunc demum ipsi esse *absolutum*, *patefactum*, quando re et facto

aderit. Ab altera autem parte etiam JOHANNI notionem τοῦ μυστηρίου propriam esse vidimus, quod sit res abscondita, aut recondita, ignota, eo usque, quo sit communicata, exposita.

Paucis dicamus: μυστήρια in religione Christianâ, ex Jesu et Apostolorum sententia, sunt aut *res antea absconditae*, *nunc* autem re et facto *patefactae*, aut *res* adhuc *absconditae*, deinde vero re et facto *patefaciendae* (1).

(1) Loca enim JOHANNIS, quae aliam μυστηρίων notionem exhibent, non agere de μυστηρίοις in religione Christiana, manifestum est.

PARS II.

DISQUISITIO, QUO ALIO SENSU DE μυστηρίοις DEINCEPS IN ECCLESIA SIT EXISTIMATUM.

§ 23.

Hujus partis inscriptio ponit, Ecclesiam non constanter servasse Jesu et Apostolorum sentiendi rationem de *μυστηρίοις:* idque, ut nobis saltem videtur, recte ponit. Etenim superiore opusculi parte vidimus, Jesum ejusque Apostolos *μυστήρια* habuisse *res* aut *patefactas* in religione Christiana, aut certo *patefaciendas:* hac vero parte ostendere conabimur, deinceps in Ecclesia habita esse *μυστήρια* tum *res abscondendas*, tum *res non intelligendas* (1).

At vel sic tamen minime inde concludendum, has contemplandi rationes viguisse in Ecclesia solas. Uti auctores primaevi in Ecclesia Christiana, Patres Apostolici, neque unam neque alteram sentiendi rationem

(1) In antecessum observamus, quod dein constanter cerni potest, vocem *abscondendas* junctam cum voce *res* intelligi de rebus, quas abscondere postulabat indoles ac natura Ecclesiae Christianae: voces vero *res non intelligendas* accipi de rebus, quae non poterant intelligi. Ambo igitur gerundia sensum praebent diversum, divisioni autem et inscriptioni nostrae videbantur aptissime inservire.

fovent, ita genuina Jesu et Apostolorum sentiendi ratio non evanuit, sed, quantumvis non universalis manserit, variis Ecclesiae Christianae aetatibus iterum iterumque prodiit. Nostrûm non est, hoc ulterius hîc indagare, sed observasse sufficiat, opusculi rationem deinceps forte exacturam esse, quod de servata hac Jesu et Apostolorum sentiendi ratione prolixiores simus.

SECTIO I.

Μυστήρια IN RELIGIONE CHRISTIANA HABENTUR RES ABSCONDENDAE.

CAPUT I.

Disquisitio, quaenam res in Ecclesia Christiana dictae sint μυστήρια.

Ratio, quare hoc Caput praemittamus, in promptu est: etenim prius non respondere possumus ad quaestionem de notione *μυστηρίων*, quam inquisiverimus, num res, quae dicuntur *μυστήρια*, revera pertineant ad religionem Christianam.

§ 24.

Baptismus.

Patres Ecclesiastici variae aetatis, ubi *singulatim* de *μυστηρίοις* agunt, primo loco ad ea referunt *Baptismum.* Patres Latini hanc in rem promiscue utuntur vocibus *mysterium* et *sacramentum* (1).

---

(1) Basilius magnus: *Οὐ γὰρ δὴ τούτοις ἀρκούμεθα, ὧν ὁ ἀπόστολος ἢ τὸ εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη, ἀλλὰ καὶ προλέγομεν καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον τὴν ἰσχὺν, ἐκ τῆς ἀγράφου διδασκαλίας. Εὐ-*

§ 25.

Sacra Coena.

Eodem modo Patres Ecclesiastici ad *μυστήρια* re-

λογοῦμεν τό τε ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον (in libro *de Spiritu S.* XXVII. Ed. GARNIERII, T. III. p. 55, A).

GREGORIUS NAZIANZENUS: *Περὶ τῶν ἄλλων δίδωμι γνώμην, τὴν τριετίαν ἀναμείναντες, ἢ μικρὸν ἐντὸς τούτου, ἢ ὑπὲρ τοῦτο, ἡνίκα καὶ ἀκοῦσαί τι μυστικὸν, καὶ ἀποκρίνασθαι δυνατόν· εἰ καὶ μὴ συνιέντα τελέως, ἀλλὰ οὖν τυπούμενα, οὕτως ἁγιάζειν, καὶ ψυχὰς καὶ σώματα τῷ μεγάλῳ μυστηρίῳ τῆς τελειώσεως· καὶ γὰρ οὕτως ἔχει· τοῦ μὲν βίου τὰς εὐθύνας τηνίκαυτα ὑπέχειν, ἄρχονται, ἡνίκα ἂν ὅτε λόγος συμπληρώθη καὶ τὸ μυστήριον μάθωσι.* (Orat. XL. Cap. XXVIII, quae fere tota de Baptismo agit. *Opp.* T. I. p. 714 A. *Ed. Benedictinae*).

Oratione XXXIX, C. I, idem Baptismum vocat: *μυστήριον ὑψηλόν τε καὶ θεῖον, καὶ τῆς ἄνω λαμπρότητος πρόξενον* (e. l. I. p. 677, A), et C. XIV eos, qui Baptismum conferunt, *οἰκονόμους τοῦ μυστηρίου* (e. l. I. p. 686, D.).

AMBROSIUS: »Ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritûs, designatur, non solum ad Sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur, et Filium; nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur et Spiritum. Denique et Aethiops, Eunuchus Candacis reginae, baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.“ (*de Spir. S.* I. 2. *Opp.* T. II. p. 147, ed. Basileensis, 1538).

»Ubi autem non est plenum Baptismi sacramentum, nec principium, nec species aliqua Baptismatis aestimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium, Spiritumque fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum. Ita etiam quamvis et Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Cum enim dicitur, in nomine Domini nostri Jesu Christi, per unitatem nominis impletum mysterium est.“ (l. l. c. 3. p. 149).

ferunt Sacram Coenam sive Eucharistiam (1): quod non solum probant diserta hac in re effata, sed

---

Theodoretus affirmat, dicere Ascodrutas: *μὴ χρῆναι τὰ θεῖα μυστήρια, ἀοράτων ὄντα σύμβολα, δι' ὁρωμένων ἐπιτελεῖσθαι πραγμάτων, καὶ ἀσώματα δι' αἰσθητῶν καὶ σωματικῶν· ..... διὰ τοῦτο οὔτε βαπτίζουσι τοὺς προσιόντας, οὐδὲ ἐπιτελεῖται παρ' αὐτοῖς τοῦ βαπτίσματος τὸ μυστήριον.* (*Haerett. Fabular.* I. 10. *Opp.* T. IV. p. 302. Ed. schulzii).

(1) Concilium laodicenum: *Περὶ τοῦ, τοὺς ἐκ τῶν αἱρέσεων, τοῦτ' ἔστι, Ναυατιάνων, ἢ τοί Φωτεινιανῶν, ἢ Τεσσαρεςκαιδεκατιτῶν, ἐπιστρέφομενους, ἤ τε πιστοὺς τοὺς παρ' ἐκείνοις, μὴ προσδέχεσθαι, πρὶν ἀναθεματίζωσι πᾶσαν αἵρεσιν, ἐξαιρέτως δὲ ἐν ᾗ κατείχοντο καὶ τότε λοιπὸν τοὺς λεγομένους παρ' αὐτοῖς πιστούς, ἐκμανθάνοντας τὰ τῆς πίστεως σύμβολα, χρισθέντας τε ἁγίῳ χρίσματι, οὕτω κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ τῷ ἁγίῳ.* (Canon VII. harduin, *Concill. Collectio*, III. p. 566. v. pithoeus, *Cod. Canon. vetus Ecclesiae Romanae*, Par. 1687, p. 75, habet *mysteriis communicare sacrosanctis*, et adeo legisse videtur: *μυστηρίων*, quod vero eodem redit.)

Chrysostomus: *Τίνος γὰρ ἂν ἦτε συγγνώμης ἄξιοι, εἰ τοῦ βασιλέως τοῦ ὑβριομένου μὴ μνησικακοῦντος, ὑμεῖς οἱ μηδὲν τοιοῦτον παθόντες τοσαύτην ὀργὴν ἐπιδείξησθε; πῶς δὲ τοῦ θεάτρου τούτου λυθέντος, ὑμεῖς μυστηρίων ἅψεσθε, καὶ τὴν εὐχὴν ἐρεῖτε ἐκείνην, δι' ἧς κελευόμεθα λέγειν, ἄφες ἡμῖν καθὼς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν, τὸν ὑμῶν ὀφειλέτην ἀπαιτοῦντες δίκην;* (*Hom. in Eutropium* 5. *Opp.* T. III. p. 385. B. C. Ed. Bened.).

Διὰ δὴ τοῦτο καὶ τὰ φρικώδα μυστήρια καὶ πολλῆς γέμοντα (τῆς) σωτηρίας· τὰ καθ' ἑκάστην τελούμενα....... σύναξιν· εὐχαριστία καλεῖται, ὅτι πολλῶν ἐςιν εὐεργετημάτων ἀνάμνηκος. (*In Matth. Hom.* XXV. 3. *Opp.* T. VII. p. 310. D. e. l.).

Eodem modo dicit: *μετέχειν* vel *μεταλαμβάνειν τῶν μυστηρίων*, — *φρικτὰ μυστήρια, κ. τ. λ.* Ita apud suicerum, *Thesaur. Eccl.* II. 383 ed. 1*mae.* In ed. vero opp. C. laud. T. II. p. 122. C. *Hom. ad Pop. Antioch.* XI. 5 pro *μεταλαμβάνειν τ. μ.* legitur *κοινωνεῖν τ. μ.*).

Augustinus: »Illum commemoro, qui vobiscum vixit, cujus natalitia tanta celebratione frequentabatis, cui pacis osculum

etiam confirmant phrases, quales sunt: κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ, aut τοῦ μ., ἅπτεσθαι μυστηρίων, μετέχειν, μεταλαμβάνειν et ἀπολαύειν τῶν μυστηρίων, quaeque hoc μυστήριον a mysterio Baptismatis satis distinguunt.

Non negligendum, de hac re loquentes Patres promiscue usos esse vocibus μυστήριον et μυστήρια, quod duabus potissimum constabat partibus, esu nempe panis et potu vini. Patres Latini etiam utuntur voce *sacramentum*.

§ 26.

Baptismus, *S. Coena*, *Septem Sacramenta*.

Ita vidimus, Patres Ecclesiasticos, quos citavimus,

---

inter sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis" (*Contra Epist. Petiliani*, L. II. C. XXIII. n°. 53. *Opp.* T. IX. p. 158. D. ed. Benedict.).

»Ecce accepit Sacramentum homo baptizatus." (*Ep. ad Johannem*. C. III. Tract. V. n°. 6.)

Gregorius Nazianzenus: »Ἰησοῦς ἐν ὑπερῴῳ κοινωνεῖ τοῦ μυστηρίου (Orat. XLIV, citante Suicero, sub v. μυστήριον, e. l. p. 383).

Theodoretus: (Χριστὸς) ἐν τῇ τῶν μυστηρίων παραδόσει λαβὼν τὸ σύμβολον, ἔφη· Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. (*Ep.* CXXX. *Opp.* T. IV. p. 1218. *Ed. Schulzii.*)

Τῶν ἱερῶν ἀπολαύοντες μυστηρίων οὐκ αὐτῷ κοινωνοῦμεν τῷ Δεσπότῃ, οὗ καὶ τὸ σῶμα εἶναι καὶ τὸ αἷμα φαμέν; Ἐπειδὰν πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μεταλαγχάνομεν. (Ad 1 Cor. X. 16. T. III. p. 229. e. l.)

Gregorius Magnus: »Quod tamen" (saturari nempe famelicos) »contra negligentes sacri Altaris ministros dici non inconvenienter potest. Repleti vero prius sunt, vitiorumque cibo saturati, qui pro pane se locant: quia corpus ad susceptionem Eucharistiae praeparent. Qui nimirum comedunt et saturari non possunt, quia etsi sacra entum ore percipiunt, virtute sacramenti nequaquam replentur. A virtute ergo illa Sacramenti ideo jejunant, quia prius repleti fuerant." (*Ad* 1 *Reg.* I. 5. *Opp.* T. III. P 2. p. 590, Ed. Benedict.)

loquentes *singulatim* de *μυςηρίοις*, haec intelligere Baptismum et Eucharistiam. *In genere* vero agentes de *μυςηρίοις*, plura non agnovisse videntur, namque haec tantum duo nominatim enumerant, exclusis aliis (1).

Ecclesia autem Graeca Orientalis septem agnovit *μυςήρια* (2); uti notissimum est, Ecclesiam Latinam agnovisse septem *sacramenta*.

---

(1) CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: *'Επόθουν ὑμῖν καὶ πάλαι, ὦ γνήσια καὶ περιπόθητα τῆς ἐκκλησίας τέκνα, περὶ τῶν πνευματικῶν τούτων καὶ ἐπουρανίων διαλεχθῆναι μυςηρίων.* (Haec dicit *Mystag. Catech.* I. p. 306. B. ed. Bened., et deinde, *Mystag.* I. II. III, de Mysterio Baptismatis et *Mystag.* IV de Mysterio S. Coenae disserit.)

CHRYSOSTOMUS: *'Εξῆλθεν.... ὕδωρ καὶ αἷμα· οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ ὡς ἔτυχεν αὗται ἐξῆλθον αἱ πηγαί· ἀλλ' ἐπειδὴ ἐξ ἀμφοτέρων ἡ ἐκκλησία συνέςηκε· καὶ ἴσασιν οἱ μυςαγωγούμενοι, δι' ὕδατος μὲν ἀναγεννώμενοι, δι' αἵματος καὶ σαρκὸς τρεφόμενοι· ἀρχὴν λαμβάνει τὰ μυςήρια.* (*In Joann.* Hom. LXXXV. 3. *Opp.* T. VIII. p. 507. E. e. l.)

Ita etiam affirmat, *τὴν πλευρὰν τοῦ Χριςοῦ προφέρειν ἡμῖν τὰ μυςικὰ δῶρα, ὕδωρ καὶ αἷμα, ὧν τὸ μὲν ἐςι τοῦ λουτροῦ σύμβολον, τὸ δὲ τῶν μυςηρίων ἐνέχυρον.* (SUICERUS, l. l. p. 383).

AUGUSTINUS: »Iudicat enim et approbat quod recte, improbat autem quod perperam invenerit: sive in ea sollemnitate sacramentorum, quibus initiantur, quos pervestigat in aquis multis misericordia tua: sive in ea qua ille PISCIS exhibetur, quem levatum de PROFUNDO terra pia comedit." (*Confess.* L. XIII. n°. 34. *Opp.* T. I. p. 178. e. l.)

»Quid est, quod occultum est et non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiae. Opera nostra bona vident et Pagani, Sacramenta vero occultantur illis." (*Enarratio in Ps.* CIII. Serm. I. 19. *Opp.* T. IV. p. 855. E. e. l.)

(2) *Confess. orthodox. Eccles. orient.*: *Ταῦτα τὰ ἑπτὰ μυςήρια ἀναβιβάζονται εἰς τὰ ἑπτὰ χαρίσματα τοῦ ἁγίου πνεύματος* (vid. BRETSCHNEIDER, l. l. Th. II. p. 606 in notis).

§ 27.

Dogma de Trinitate, caet.

Ritus Sacros igitur, quales sunt Baptismus, S. Coena caet., vetus Ecclesia *μυςήρια* vocavit. Ad haec autem etiam retulit dogma de Trinitate (1).

CAPUT II.

Inquiritur, quali sensu has res dixerint μυστήρια.

§ 28.

Satis igitur, ut videtur, ostendimus, et Baptismum et S. Coenam, et VII Sacramenta et Trinitatem dici solere ab Antiquis *μυςήρια*. Jam nunc ulterius in hujus appellationis rationem inquirendum est, ac videndum, quali sensu has res dixerint *μυςήρια*.

Hanc in rem audiamus denuo necesse est ipsos auctores loquentes. Primum igitur adeamus JUSTINUM MARTYREM, quippe qui, h. l. quidem non Sacram

(1) AMBROSIUS: »In omnibus, quae egimus, servatum est mysterium Trinitatis" (*de Sacramentis*, L. VI. *Opp.* T. IV. p. 382. e. l.).

CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: *Ταῦτα τὰ μυςήρια, ἃ νῦν ἡ Ἐκκλησία διηγεῖται σοὶ τῷ ἐκ κατηχουμένων μεταβαλλομένῳ, οὐκ ἔςιν ἔθος ἐθνικοῖς διηγεῖσθαι. οὐ γὰρ ἐθνικῷ τὰ περὶ Πατρός καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος διηγούμεθα μυςήρια, οὐδὲ τὰ περὶ τῶν μυςηρίων κατηχουμένων λευκῶς λαλοῦμεν.* (*Catech.* VI. n°. XXIX. p. 106. C. e. l.)

Coenam μυστήριον appellans, de ejus celebrandi ratione monet: »non licitum esse ullum Eucharistiae esse participem, nisi qui vera habuerit ea quae didicerit a doctoribus Christianis, baptizatus sit ac vitam agat Christianam" (1).

Transeamus ad alios, qui quali sensu μυστήρια habuerint, disertis verbis exposuerunt: inter hos offendimus TERTULLIANUM, qui ratione disertissima, mysteria esse res abscondendas, pronunciat, ducens ex natura mysteriorum Ecclesiae Christianae, haec multo magis reticeri oportere, quam Samothracia et Eleusinia: »Si semper" inquit »latemus, quando proditum est quod admittimus? Imo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis? Non utique, cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Samothracia et Eleusinia reticentur: quanto magis talia, quae prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divina servatur? Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia, cum semper etiam piae initiationes arceant profanos et arbitris caveant, nisi si impii minus metuunt." — *Apologet.* c. 7. ed. RIGALTII. p. 8, C.

Audiamus porro BASILIUM M., affirmantem, »bene proavos didicisse, venerandum mysteriorum silentio tenere, non justum enim esse disciplinam eorum,

---

(1) *Καὶ ἡ τροφὴ* (panis et vinum, ut ex antecedentibus liquet) *αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία· ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξὸν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν.* (*Apol.* I. 66. p. 83 ed. Bened.)

quae videre illicitum esset nondum initiatis, litteris mandare" (1).

Si inquiramus in CYRILLI H. sententiam, nobis liquet, hunc graviter injungere Christianis, »ne ea, quae audivissent in catechesi, divulgarent catechumenis, hanc ob causam, quod traditum *μυςήριον* esset: hoc enim divulgandum non esse, quandoquidem Catechumenus (ignorans quae audierit, et reprehendens factum, ac ludibrio habens quod esset dictum) insaniret. Tales res enim divulgabantur sermone Catechumenis; dum postea, experientiâ altitudinem eorum, quae didicerant, edocti, agnoscerent Catechumenos indignos esse auditu harum rerum," caet. (2).

---

(1) *'Εκ ποίας ἐςὶ γράφης; οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου διδασκαλίας, τὴν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ καὶ ἀπεριεργάςῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφυλάξαν, καλῶς ἐκεῖνοι δεδιδαγμένοι, τῶν μυςηρίων τὸ σεμνὸν σιωπῇ διασώζεσθαι; ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεςι τοῖς ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν ἐκθραμβεύειν ἐν γράμμασιν.* (*de Spir. S.* C. XXVII. *Opp.* T. III. p. 55. A. e. l.).

Et mox, *κατὰ τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον*, ait (ut e superioribus liquet, tantum uni e sacerdotibus secundum leges Mosaicas esse licitum adyta templi ingredi) *καὶ οἱ τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξαρχῆς διαθεσμοθετήσαντες ἀπόςολοι καὶ πατέρες, ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθεγκτῷ τὸ σεμνὸν τοῖς μυςηρίοις ἐφυλάσσον· οὐδὲ γὰρ ὅλως μυςήριον τὸ εἰς τὴν δημώδη καὶ εἰκαῖαν ἀκοὴν ἐκφόρον.* (Ib. p. 55 D.)

(2) *"Οτε τοίνυν κατήχησις λέγηται, ἐάν σε κατηχούμενος ἐξετάσῃ, τί εἰρήκασιν οἱ διδάσκοντες, μηδὲν λέγε τῷ ἔξω. Μυςήριον γὰρ σοὶ παραδίδομεν.* (Procatech. XII. p. 9. B. e. l.) Cujus moniti ratio sequitur: *Οὕτως καὶ ὁ κατηχούμενος, ἐὰν ἀκούσῃ παρὰ πιςοῦ* (sc. *μυςήρια*)*· καὶ ὁ κατηχούμενος φρενιτιᾷ· (οὐκ οἶδε γὰρ τί ἤκουσε, καὶ ἐλέγχει τὸ πρᾶγμα, καὶ ἐκμυκτηρίζει τὸ λεγόμενον) καὶ ὁ πιςὸς ὡς προδότης κατακρίνεται.* (Ib.) — Mox rursus Catechumeno dicit: *"Ηδη δὲ σὺ ἐν μεθορίῳ ςήκεις, βλέπε μοι μὴ ἐκλαλή-*

Gregorius n. de nostrâ re ita exponit, ut distinguat inter ea, quae in vulgus possent efferri de *μυςηρίοις*, et ea, quae tantum interiore institutione Christiana addiscerentur (1).

Ambrosius: »Nunc de mysteriis dicere admonet," inquit, »atque ipsam Sacramentorum rationem edere: quam ante Baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis; prodidisse potius, quam edidisse aestimaremur." (*De his, qui mysteriis initiantur*, C. I. *Opp.* T. IV. p. 360 e. l.)

Chrysostomus si audiatur, liquet Christianos, ipsius tempore, clam celebrare *μυςήρια* solitos fuisse ac dimissis nondum initiatis (2). Alio vero loco queritur, perquam difficilem esse expositionem, nondum initiatorum gratia, qui cogerent aut non satis sapienter de re loqui, aut ad ipsos efferre *τὰ ἀπόῤῥητα*: se vero, quantum posset, obtecte de re esse dicturum, caet. (3).

σης· οὐχ ὅτι οὐκ ἄξια λαλιᾶς τὰ λεγόμενα, ἀλλ' ὅτι ἡ ἀκοὴ ἀναξία τοῦ δέξασθαι. ἧς ποτὲ καὶ σὺ κατηχούμενος, οὐ διηγησάμην σοὶ τὰ προκείμενα· ὅταν τῇ πείρᾳ λάβῃς τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων, τότε ἂν γνώσῃ, ὅτι ἀνάξιοι οἱ κατηχούμενοι τῆς ἀκοῆς. (Ib.)

Οὐδὲ τὰ περὶ τῶν μυςηρίων ἐπὶ κατηχουμένων λευκῶς λαλοῦμεν, ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα οἱ εἰδότες πιςοὶ νοήσωσι, καὶ οἱ μὴ εἰδότες μὴ βλαβῶσι. (*Catech.* VI. n°. XXIX. p. 106. C. e. l.).

(1) *Ἔχεις τοῦ μυςηρίου τὰ ἔκφορα, καὶ ταῖς τῶν πολλῶν ἀκοαῖς οὐκ ἀπόῤῥητα· τὰ δὲ ἄλλα εἴσω μαθήσῃ, τῆς τριάδος χαριζομένης, ἃ καὶ κρύψεις παρὰ σεαυτῷ σφραγίδι κρατούμενα.* (*Orat.* XL. *de Bapt.* n°. XLV. *Opp.* T. I. p. 28. e. l.).

(2) *Τὰ μυςήρια διὰ τοῦτο τὰς θύρας κλείσαντες ἐπιτελοῦμεν, καὶ τοὺς ἀμυήτους εἴργομεν.* (*In Matth. Hom.* XXIII. 3. *Opp.* T. VII. p. 288 e. l.).

(3) *Βούλομαι..... σαφῶς αὐτὸ εἰπεῖν, οὐ τολμῶ δὲ διὰ τοὺς ἀμυήτους· οὗτοι γὰρ δυσκολωτέραν ἡμῖν ποιοῦσι*

Augustinus haec refert: »Dimissis jam Catechumenis, vos tantum ad audiendum retinuimus; quia praeter illa, quae omnes Christianos convenit in commune servare, specialiter de coelestibus mysteriis locuturi sumus, quae audire non possunt, nisi qui ea donante jam Domino perceperunt. Tanto ergo majore reverentia debetis audire, quae dicimus, quanto majora ista sunt, quae solis baptizatis et fidelibus auditoribus committuntur, quam illa, quae etiam Catechumeni audire consueverunt." (*Serm.* 2 *ad Neoph.*, in App. Tom. VI. p. 768. D. e. l.)

»Quid est, quod occultum est et non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiae. Opera nostra bona vident et Pagani, Sacramenta vero occultantur illis." (Cf. § 26, in notis.)

Theodoretus asserit, »propter nondum initiatos haud clare de mysteriis se solere colloqui, hisce autem remotis, sapienter se initiatos instituere" (1).

τὴν ἐξήγησιν, ἀναγκάζοντες ἢ μὴ λέγειν σαφῶς, ἢ εἰς αὐτοὺς ἐκφέρειν τὰ ἀπόῤῥητα· πλὴν ἀλλ' ὡς ἂν οἷος τε ὦ, συνεσκιασμένως ἐρῶ. (*In Ep. ad Cor.* II. *Hom.* XL. 1. *Opp.* T. X. p. 379. A. e. l.).

Ἔασον με στῆναι μετὰ τῶν κατηχουμένων, τῶν θυρῶν τῆς ἐκκλησίας ἔνδον· ἵνα θεωρῶν τὰ ἐν αὐτῇ τελούμενα μυςήρια, ποθήσω κατὰ μικρὸν ταῦτα πάλιν ἀναλαβεῖν. (*Hom. in Parab. de Fil. prodig.* 3. *Opp.* T. VIII. *Spuria*, p. 36. B. e. l.).

Ita et ad 1 Cor. XV. 51. nº. XLII. (*Opp.* T. X. p. 376 e. l.) μυςήριον explicat, ut sit: φρικτόν τι καὶ ἀπόῤῥητον, καὶ ὃ μὴ πάντες ἴσασι. (Cf. et *Hom. in Joan.* XLVI. 2. *Opp.* T. VIII. p. 272. C. e. l.).

(1) Ἀσήμως διὰ τοὺς ἀμυήτους περὶ τῶν Θείων διαλεγόμεθα μυςηρίων, τούτων δὲ χωριζομένων, σαφῶς τοὺς μεμυημένους διδάσκομεν. (*Interpret.* XV. *ad Num.* X. *Opp.* T. I. p. 230 e. l.).

Haec universe valent de μυςηρίοις, utpote ritibus sacris: eadem valent de Trinitate, caet., uti ex loco allato CYRILLI abunde constat, μυςήρια nempe de Patre, Filio et Spiritu Sancto non esse narranda Gentilibus: qua de re locum hîc denuo afferre non videtur esse necesse.

Jam vero si paucis, quae vidimus, comprehendamus, satis nobis liquet, vario sensu a Veteribus esse existimatum de μυςηρίοις. Namque verba JUSTINI MARTYRIS indicant, jam hujus tempore Sacrorum rituum, saltem Eucharistiae, cultum a nonnullorum communione esse remotum, eorum nempe qui nondum rei Christianae nomen dederant et baptizati erant, dum TERTULLIANUS imprimis doctrinam de mysteriis esse reticendam contendit. Priorem illam sententiam de μυςηρίοις etiam tuetur BASILIUS M.; at vero ex hujus etiam mente doctrina de ritibus Sacris non erat communicanda nondum initiatis. Hoc enim loco allegata universe probant, et breviter etiam exprimit una periodo: »quae non initiatis illicita sunt videre, horum doctrinam non convenit litteris mandare." — CYRILLO vero cordi est, ne de Sacramentis doctrina, fidelibus et initiatis jam cognita, Catechumenis communicetur et ab his et non initiatis divulgetur, quae sentiendi ratio etiam est GREGORII N., quando distinguit ea, quae de μυςηρίων ratione communicari possent, et ea, quae tantum fidelibus et initiatis reservanda essent. Eandem sententiam etiam tuentur AMBROSIUS et THEODORETUS.

Apud CHRYSOSTOMUM vero et AUGUSTINUM utramque illam sentiendi rationem invenimus conjunctam

ritus sacros Catechumenis aliisque esse abscondendos, iisque non esse communicandam doctrinam de iis.

Quae hic illic dispersa collegimus de mysteriorum ratione, consulto exponit ORIGENES. CELSUS enim criminatus erat doctrinam religionis Christianae clandestinam, quod negat ORIGENES, adpellans ad fata et facta Jesu notissima. Caeterum non negat quaedam esse, quae non ad omnes dici possent, at vero religionem Christianam hoc commune habere cum philosophis contendit: horum autem mysteria nunquam ideo criminata esse, quod essent secreta, abscondita; et inde concludit, perverse ideo agere CELSUM hanc ob causam religionem Christianam criminantem (1).

Quaerentes autem, quare et VII Sacramenta sint dicta *μυστήρια*, rei rationem partim putamus esse hanc, quod Graeci Latinam vocem *sacramentum* verterunt voce *μυστήριον* (2): partim autem rationem in eo sitam fuisse putamus, quod, aeque ac Baptismus et S. Coena, et alii ritus sacri abscondebantur et clam peragebantur. Hoc enim locum obtinuisse e. g. in Ordinatione, non est probatu difficile (3).

---

(1) *Τὸ δὲ εἶναι τίνα, οἷς μετὰ τὰ ἐξωτερικὰ, μὴ εἰς τοὺς πολλοὺς φθάνοντα, οὐ μόνου ἴδιον τοῦ Χριστιανῶν λόγου, ἀλλὰ γὰρ καὶ τῶν φιλοσόφων· παρ' οἷς τίνες μὲν ἦσαν ἐξωτερικοὶ λόγοι, ἕτεροι τε ἐσωτερικοί· ...... καὶ πάντα τε τὰ πανταχοῦ μυστήρια κατὰ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον, κρύφια ὄντα οὐ διαβέβληται· διόπερ μάτην μηδὲ νοήσας ἀκριβῶς τὸ κρύφιον τοῦ Χριστιανισμοῦ διάβαλλει.* *Contra Celsum.* I. 7. *Opp.* T. I. p. 325, 326. E. A. *Ed. Ben.*

(2) Namque, *μυστηρίῳ* Eucharistiae excepto, Latini non soliti sunt VII Sacramenta dicere *mysteria*, sed contra de his diversam condiderunt a doctrina de mysteriis doctrinam.

(3) Praecipit enim *Concilium Laodicenum* Can. V: *Μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων γένεσθαι.* MANSI, l l. T. III. p. 566). Et de eadem re monet CHRYSOSTOMUS:

Paucis igitur concludentes, duplicem videmus rationem viguisse contemplandi *μυςήρια*, *alteram*, ipsas res, ritus sacros, esse abscondendas, *alteram*, doctrinam de his, ac de Trinitate, caet. esse occultandam nonnullis: quare hanc Sectionem conclusione finire licet, ***post Jesum et Apostolos μυςήρια in Ecclesia Christiana existimata esse res celandas, abscondendas.***

Ὁ μέλλων χειροτονεῖν, καὶ τὰς ἐκείνων εὐχὰς καλεῖ τότε, καὶ αὐτοὶ ἐπιψηφίζονται, καὶ ἐπιβοῶσιν ἅπερ ἴσασιν οἱ μεμυημένοι· οὐ γὰρ δὴ θέμις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτειν ἅπαντα. (*In Ep.* 2 *ad Cor. Hom.* XVIII. *Opp.* T. X. p. 568. A. B. e. l.).

SECTIO II.

Μυστήρια IN RELIGIONE CHRISTIANA HABENTUR RES NON INTELLIGENDAE.

CAPUT I.

Disquisitio, quaenam res in Ecclesia Christiana dictae sint μυστήρια.

Quando tandem sentiendi ratio haec, *μυςήρια* esse res abscondendas, vigere desierit in Ecclesia Christiana, juste definiri non potest. Non improbabile autem videtur, hoc eo tempore inprimis factum esse, quo religio Christiana quam maxime facta erat universalis, saeculo VI. Cessantibus enim rationibus, quibus moti absconderent religionis cultum, non potuit fieri, quin etiam cessaret effectus, ipsa absconsio. Quam sententiam vehementer probare videntur scripta GREGORII M.: etenim hic, uti mox videbimus, *μυςήρια* habuit res non intelligendas, at simul etiam vidimus (1), ipsum quoque, uti caeteri Patres Latini, Sacram Coenam appellasse Sacramentum, eumque vulgarem hujus tenuisse notionem, tuto concludere licet ex constanti Patrum caeterorum usu.

(1) Cf. § 25.

Hisce igitur temporibus, serius ocius, notio *μυστηρίων*, qua habentur *res* aut *doctrinae* abscondendae his illisve, evanuit, ac locum cessit notioni, ut sint *dogmata abscondita* omni Christiano. Mansit igitur *doctrina μυστήριον*, sed alio sensu: *res*, sive ritus sacri, *μυστήρια* esse desierunt.

§ 29.

Trinitas.

Primo loco ad placita, quae *μυστήρια* vocata sunt, referri debet dogma Trinitatis; quod inde a GREGORII M. fere aetate ad nostra usque tempora constanter ab Ecclesia hoc nomine est appellatum, uti Theologorum variae aetatis effata probant (1).

---

(1) GREGORIUS M.: »Multitudo ...... magna Synagogae nec invenire mysterium Trinitatis potuit, nec quaerere scivit. Superveniente autem gratia per Testamentum Novum, omnis fidelis populus unum Deum Trinitatem esse agnovit." *In Evang. Hom.* L. II. *Hom.* IV. 11. *Opp.* T. I. p. 1347, ed. Bened.

Et paulo post dicit: »Et nunc sub gratia custoditis verius Decalogi praeceptis, omnis qui ad fidem venerit, Sanctae Trinitatis mysterium cognoscit." *Ibid.*

ABAELARDUS: »Ex quibus aperte Apostolus docet eis quoque mysterium Trinitatis fuisse revelatum." *Introd. ad Theologiam*, II. 1. p. 1046 ed. Paris. 1616.

»Sed incassum, inquies, laboramus, si id aperire quaerimus, aut quod jam per alios est apertum, ut nostro ulterius labore opus non sit, aut omnino aperiri non potest, ut illud videlicet ineffabile Trinitatis mysterium." L. l. III. p. 1055.

»Si qua igitur mysteria de Deo antea disseruimus, hic potius in nobis quam nos ipsi, hoc agit, et quod nobis est impossibile, ipsi est facile ..... Hoc igitur docente intelligimus, hoc suggerente disserimus quae nos ipsi non possimus, ipsa etiam Dei et Trinitatis mysteria." L. l. p. 1064, 65.

PETRUS LOMBARDUS etiam ad mysteria refert Trinitatem, uti constat ex loci, quo de ea agit, inscriptione, quae est: »De

§ 30.

Incarnatio.

Etiam ad mysteria retulerunt Theologi veteris ac recentioris aevi dogma Incarnationis, sive conjunc-

---

Mysterio Trinitatis, Liber primus," et alium locum inscribit: » De Mysterio Trinitatis et Unitatis, Dist. II." De his varia disputans, dicit, *Dist.* IX. H. Edit. Lovaniensis. 1553. (*de distinctione trium personarum*): » Sed quaeris a me, inquit AMBROSIUS, quomodo si Filius sit, non priorem habeat Patrem? Quaero item abs te, quando vel quomodo Filium putes esse generatum? mihi enim impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et Angelorum: supra potestates, et supra Angelos, et supra Cherubin et supra Seraphin, et supra omnem sensum est: quia scriptum est, Pax Christi supra omnem sensum est. Et si pax Christi supra omnem sensum est, quomodo non et supra sensum tanta generatio? Tu ergo ori manum admove: scrutari non licet superna mysteria.... Ineffabilis enim est illa generatio (L. l. I): quidam tamen de ingenio suo praesumente, dicunt illam generationem posse intelligi et alia hujusmodi."

BERNARDUS CLARAEVALLENSIS commutat inter se voces *mysterium* et *sacramentum*, quod abunde liquet ex Sermone II *in Annunt. B. Mariae*, I, *Opp.* T. I. p. 983, ed. Horstii et Mabillonis: quare minime mirandum, quod, de Trinitate locutus, usus sit voce *sacramentum:* » Si dividere quis conetur vel personas a substantia, vel proprietates a personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit. Dicamus itaque tres, sed non ad praejudicium Unitatis: dicamus unum, sed non ad confusionem Trinitatis. Neque enim nomina vacua, nec absque significantia cassae voces. Quaerit quis quomodo illud, quod Catholicum esse dicimus, possit esse? Sufficiat ei tenere, sic esse. Atque non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum."

» Sacramentum hoc magnum est, et quid venerandum, non scrutandum." *De Consider.* L. V. C. VIII. 18. *Opp.* Vol. I. T. II. p. 458, 459, e. l.

CALVINUS, locutus de multorum conaminibus relationem Filium inter et Patrem explicandi, *Instit.* I. XIII. 19, ita pergit:

tionis in uno Jesu naturae divinae ac humanae, uti facile illorum verba indicant (1).

»In hujus rei explicatione quintus liber Augustini de Trinitate totus versatur. Longe vero tutius est, in ea quam tradit relatione subsistere, quam subtilius penetrando ad sublime mysterium, per multas evanidas speculationes evagari."

Döderleinius: »Neminem itaque offendat, si divina declaratione, dummodo perspicua et indubia, edoceamur, de rebus divinis, nostro intellectui imperviis: cujus generis est dogma, naturam ac majestatem divinam tribus ita esse communem, ut indivisa societate et pari dignitate ornati in unam substantiam divinam coëant et Dei unius nomine jungantur. Hanc doctrinam *Trinitatis mysterium* dicimus." *Instit. Theologi Christ.* I. p. 367. ed. *6tae.*

Muntinghius: »Ipsa autem res ac ratio docet, doctrinam hanc," de Patre, Filio et Spiritu S., cll. § 134, »ita pertractandam esse, ut nihil admittatur, quod demonstratis antea de natura ac proprietatibus unius Dei repugnet. Observandum est praeterea, eam ad veri nominis mysteriorum classem pertinere." *Theol. Christ. Theor.* T. I. p. 133, ed. *2dae.*

»Uti sc. jam in veteri Ecclesia Christiana fuerunt, qui cum alia mysteria religionis, tum praesertim doctrinam de Deo Patre, Filio ac Spiritu S. ita exponere conarentur, ut propius accederent ad eorum, quae sola duce ratione cognosci possunt, naturam; ita" sqq. Idem T. II. p. 78.

(1) Isidorus Pelusiota: *Μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυςήριον, οὐχ ὡς ἀγνοούμενον παντάπασιν, ἀλλ' ὡς οὐδενὶ ἐφικτόν· παντὸς γὰρ ἐπέκεινα καὶ λόγου καὶ νοῦ καθέςηκεν· εἰ γὰρ γάμου καρπὸς τὸ παιδίον, πῶς ἡ παρθένος καρπὸν γάμου ἔδειξε; πῶς ἡνώθη τὸ φθαρτὸν τῷ ἀφθάρτῳ; πῶς ἐν τῷ περιγραπτῷ νοεῖται τὸ ἀπερίγραπτον, οὔτε τῆς θείας καὶ ἀκηράτου ἐλαττουμένης φύσεως, καὶ τοῦ θνητοῦ ἀφράςῳ τινὶ λόγῳ, καὶ ἑρμηνείας κρείττονι τὴν λιμὴν δεχομένου;* *Epist.* CLXXXXII. Lib. II.

Gregorius Magnus: »Verbum vero carnem dicimus factum, non amittendo quod erat, sed suscipiendo quod non erat. Incarnationis enim suae mysterio unigenitus Patris nostra auxit, sua non minuit." *Registri Epp.* L. XI. Ind. IV. Ep. LXVII. *Opp.* T. II. p. 1168, B. e. I.

Abaelardus: »Operatione Spiritus Sancti verbum Dei de Vir-

§ 31.

Eucharistia.

Ad mysteria porro referebatur Eucharistia, non quidem ritus, quibus haec celebrabatur, sed res,

---

gine carnem accepit. De qua etiam carne tamquam de nube pluviam dedit, cum incarnationis ejus mysterium praedicatio terris omnibus nunciavit, et fidei fructum inde extulit.'' *In Natali Domini* Sermo II. p. 748. e. l.

» Unde et superius cum Platonicorum sententias de Verbo Dei Augustinus praesentaret, solum, quae ad divinitatem Verbi pertinent se in eis reperisse confirmavit, et nil de incarnationis mysterio, in quo totam salutis humanae summam consistere certum est, sine quo caetera frustra creduntur.'' *Introd. in Theol.* L. II. XVIII. p. 1101. e. l.

Petrus Lombardus: » Sic.... Deus praecepit, ut in malis nulli potestati obediamus. Jam nunc his intelligendis atque pertractandis, quae ad Verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus.'' *Sentent.* L. II. XLIV. C.

Bernardus Claraevallensis: » Abyssus plane imperscrutabilis, incarnationis dominicae sacramentum: abyssus impenetrabilis, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, et in quo hauriam non est mihi.'' *In Annunt. B. Mariae*, Serm. II. 1. *Opp.* V. I. T. I. p. 983. e. l.

» Quaero igitur, qua ratione Filius magis incarnatus sit, quam Pater, aut Spiritus — Sanctus, cum totius Trinitatis non modo aequalis sit gloria, sed una eademque substantia? Sed quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ei fuit? Altissimum est mysterium, nec nos oportet temere super hujuscemodi praecipitare sententiam.'' Idem ejusdem *Sermonis* n°. 2.

» Hic ergo Christus Jesus, mediator fidelis, sicut in persona una Dei hominisque substantiam copulavit ineffabili sacramento: sic'' sqq. *Ib.* l. l.

» Mysterium incarnationis tria in se consideranda continet; scilicet formam humilitatis, probamentum dilectionis, sacramentum redemptionis.'' *De Diversis*, Serm. CXIX. *Opp.* V. I. T. III. p. 1241. A. e. l. cf. etiam *Ib.* Serm. XXIX. p. 1152. B. e. l.

qua panis et vinum Eucharistiae habebatur in veram carnem et sanguinem Jesu Christi esse muta-

---

Thomas a Kempis *de Imitatione Christi*, IV. c. X. 6: »Nam toties mystice communicat et invisibiliter reficitur, quoties incarnationis Christi mysterium passionemque devote recolit et in amore ejus accenditur."

»Domine Deus meus, ... cum tali fide, spe et puritate te affecto hodie suscipere, sicut te suscepit et desideravit sanctissima mater tua, gloriosa virgo Maria, quando Angelo evangelizanti sibi incarnationis mysterium humiliter ac devote respondit: Ecce" sqq. L. l. c. XVII. 2.

Calvinus: »Porro quod dicitur Verbum carnem esse factum, non sic intelligendum est, quasi vel in carnem versum, vel carni confuse permixtum fuerit: sed quia e Virginis utero templum sibi delegit in quo habitaret, et qui Filius erat Dei, filius hominis factus est: non confusione substantiae, sed unitate personae. Siquidem ita conjunctam unitamque humanitati divinitatem asserimus, ut sua utrique naturae solida proprietas maneat, et tamen ex duabus illis unus Christus constituatur. Siquid in rebus humanis tanto mysterio simile potest reperiri, hominis similitudo appositissima videtur, quem ex duabus substantiis conspicimus constare." *Instit.* L. II. C. XIV. 1.

Döderleinius § 255 inscribit *Necessitas fidei incarnationis*, et in ea exponit: »Si quis homo de persona Christi Θεανθρώπου hypothesin tenet, is quidem magna fidei fulcra ac venerationis erga eum summae incitamenta habet, verum non est cauti ac modesti doctoris, ut in hanc sententiam omnes conspirent, postulare, nedum eos, qui aliam de persona Christi rationem animo informant, temerario judicio aeterna salute damnare, vel propter naturam mysterii" sqq. L. l. T. II. p. 365.

Muntinghius: »De natura Jesu Christi, Θεανθρώπου, deque naturae divinae et humanae in Servatore nostro conjunctione arctissima in Ecclesia primitiva Christiana parum disputatum fuit; Apostolorum quippe simplicitatem ut plurimum sequentes, antiquissimi Ecclesiae Christianae Doctores ab ulteriore mysterii hujus explicatione abstinebant, popularique dicendi ratione utebantur."

»At vel sic jam satis cito, postquam mysterium hoc vel curatius rimari, vel ad doctrinas quasdam philosophicas accommo-

tum (1). Loquentes de hoc dogmate saepe etiam commutarunt inter se Theologi voces *sacramentum*, *mysterium*, *mysteria*.

---

dare coeperunt, in varias opiniones delapsi sunt." L. l. T. II. p. 218, 219.

(1) Anselmus Cantuariensis: »In mensa altaris, solum adest corpus Domini, in quod vere mutata est vera panis substantia, nisi, quod de aqua nihil remansit in mutatione illa. De pane vero mutato, ad peragendum sacri institutum mysterii sola remanet species visibilis." *De Sacram. Altaris*, C. I. *Opp.* T. III. p. 108 C. *Ed. Colon. Agripp.* 1612.

»Similitudo illa panis, quae in altari carnis se oculis ingerit, per se inspecta non est corpus Domini. Sed cum esset quiddam priori simile, id est pani inhaerens vel accidens, migrante in Dominicum corpus substantia cui inhaerebat, remansit ad peragendum sacri institutum mysterii." L. l. p. 109. A.

»Est igitur in mysteriis vera Dominici corporis substantia, sed absque visibili specie sua, et est vera species visibilis panis, sed absque substantia sua." L. l. cf. et eadem sententia prolata l. l. C. IX. p. 113. B.

Thomas Aquinas:

»Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium
Sanguinisque pretiosi," sqq.

cf. Daniel, *Blüthenstrauss alt-lateinischer Kirchenpoesie*. 1840. p. 41 cf. ejusdem carmen. p. 44.

Thomas a Kempis: »Si tanta agebatur tunc" (i. e. Davidis tempore, uti liquet ex antecedentibus), »devotio ac divinae laudis exstitit recordatio coram arca testamenti, quanta nunc mihi et omni populo Christiano habenda est reverentia et devotio in praesentia sacramenti, in sumtione excellentissimi corporis Christi." L. IV. C. I. 8.

»Hic autem in sacramento altaris totus praesenses, Deus meus, homo Christus Jesus." L. l. C. I. 9.

»Dolendum itaque valde, quod multi tam parum hoc salutare mysterium advertunt, quod coelum laetificat et mundum conservat universum." L. l. c. I. 12.

»Si enim hoc sanctissimum sacramentum in uno tantum celebraretur loco et ab uno tantum consecraretur sacerdote in mundo; quanto putas desiderio ad illum locum et ad talem Dei sacer-

§ 32.

Praedestinatio.

Ad mysteria etiam refert Ecclesia Christiana praedestinationem, sive dogma electionis et reprobationis (1).

---

dotem homines afficerentur, ut divina mysteria celebrari viderent? Nunc autem multi facti sunt sacerdotes, et in multis locis offertur Christus, ut tanto major appareat gratia et dilectio Dei ad hominem, quanto latius est sacra communio diffusa per orbem. Gratias tibi, Jesu bone, pastor aeterne, qui nos pauperes et exules dignatus es pretioso corpore et sanguine tuo reficere, et ad haec mysteria percipienda etiam proprii oris tui alloquio invitare." L. l. c. I. 13. cf. et Ib. c. II. 5, 6.

Wesselus Gansfortius: »Intra ergo Missarum mysteria, neque legendum, neque orandum." *De Sacram. Altaris.* c. I. p. 659. ed. 1612.

»Fideliter etiam obedit praecipienti: *Hoc, quotiescunque feceritis, in meam facite commemorationem.* Credit ergo fideliter de Sacramento, fideliter commemorat esse Sacramenta, fixa mente commemorans et corpus traditum et effusum sanguinem, et pro se traditum." L. l. c. VIII. p. 675.

»Ita plane nobis in Sacramento datus, quatenus plene in passione pro nobis traditus." L. l. c. XXI. p. 693.

Calvinus: »Exhibitionem sacro Coenae mysterio obsignat." *Instit.* L. IV. c. XVII. 5. cf. ib. 11.

Concilium Tridentinum: »Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, ..., ut vetus absoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Eucharistiae mysterio in sancta Catholica Ecclesia fides atque doctrina retineatur, ...; de ea, ..., haec, quae sequuntur, docet" sqq. *Sess.* XXII. initio.

Missam vocat: »sanctissimi sacrificii mysterium." L. l. cap. VIII.

(1) Ita v. c. Calvinus: »Sunt alii, qui dum huic malo mederi volunt, tantum non sepeliri jubent omnem praedestinationis mentionem, sane a qualibet ejus quaestione, non secus atque a scopulo, refugere docent. Quorum tametsi jure in eo laudanda est moderatio, quod tanta sobrietate delibanda censent mysteria: quia tamen nimis infra modum descendunt, parum

§ 33.

Satisfactio.

Ultimo loco ad mysteria referimus, ex mente Theologorum, dogma de satisfactione. Etenim saepe, rarius tamen quam dogmata quae jam citavimus, hoc mysterium vocari, ostendere possumus (1).

---

proficiunt apud humanum ingenium, quod se coërceri non temere patitur." *Instit.* L. III. c. XXI. § 3.

Alibi, ubi loquitur de iis, qui, »quia Deus, eligens suo arbitrio quosdam, alios praeterit, litem ei intendunt," dicit: »Si ad personas transiliant, ubi magis odiosa illis est inaequalitas, saltem ad Christi exemplum debebunt expavescere, ne de sublimi hoc mysterio tam secure garriant. Concipitur ex semine Davidis mortalis homo: quibus virtutibus promeritum fuisse dicent ut in ipso utero fieret caput Angelorum, unigenitus Dei filius, imago et gloria Patris, lux, justitia et salus mundi? Hoc prudenter animadvertit AUGUSTINUS, in ipso Ecclesiae capite lucidissimumesse gratuitae electionis speculum." L. laud. c. XXII. 1.

Concilium Tridentinum: »Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum." *Sess.* VI. cap. 12.

JANSENIUS, in opere *Augustinus*, praemittit Tomo secundo: »*librum prooemialem*, in quo limites humanae rationis in rebus Theologicis indagantur, et auctoritas S. Augustini in tradendo mysterio Praedestinationis et gratiae declaratur."

(1) *Confessio Belgica*, postquam egerat Sect. XXI: »Van de voldoeninge Christi onzes eenigen Hoogenpriesters, voor ons," Sect. XXII, haec addit: »Wij gelooven dat om ware kennisse dezer groote verborgenheid te bekomen, de Heilige Geest in onze harten ontsteekt een opregt geloove," enz.

YPEIJ et DERMOUT: »Het verschil in gevoelen tusschen beide Hoogleeraars" (GOMARUM et ARMINIUM) »was over de leer der voorverordening, de voldoening van Christus ..... Dat God sommigen verkoren had ter zaligheid, dat Christus voor zondaren voldaan had enz., waren waarheden, waaromtrent beide partijen het eens waren; maar de bijzondere denkwijze van elke der

Non omittendum vero est, haec quae citavimus dogmata sola et unica non esse, quae appellata sint *mysteria*. Longe abest! Ecclesiam enim plura habuisse mysteria allatis, facile credimus et testimonio aliorum ostendere possumus (1). Omnia afferre vires et occasio vetuere, neque plus voluit propositum nostrum, quam res *vulgo* mysteria habitas exhibere, non item omnes, quae aliquando forte ita appellatae sint.

---

partijen over die waarheden was onderscheiden ..... *Zij* behoorden alzoo in zekeren zin tot de verborgenheden, welker kennis de goddelijke wijsheid alleen voor zich behouden heeft," enz. YPEIJ en DERMOUT, *Geschied. der Nederl. Herv. Kerk.* II. p. 166, 167.

MUNTINGHIUS: »Etsi de *necessitate* hujus per passionis mortisque Jesu Christi interventum veniae hominibus parandae modi nihil certi *a priori*, quod ajunt, dici possit, nec etiam quidquam dici opus sit; dubitari tamen nequit, illum exactissime ad naturam Dei perfectissimam accommodatum (esse *Θεοπρέπον*) ..... A nobis vero, quamquam plenior hujus rei notitia vitae demum futurae reservata videatur, aliquae tamen hujus mysterii rationes quasi per transennam conspici possunt, quae nobis persuadeant, non tantum doctrinam hanc *universe*, verum et *nominatim* cum *mortem*, tum et *personam* Jesu Christi parandae peccatoribus veniae aptissimam esse." L. l. I. p. 210, 211. cf. notula § 228 adjecta, ibidem.

(1) »Die älteren Theologen und deren Nachfolger behaupten, dass die Offenbarung *Mysterien* enthalte. Man versteht darunter Dinge, welche zwar der Vernunft nicht widerstreiten, jedoch auch von ihr nicht volkommen deutlich *begriffen* werden können...... Diese Mysterien sind *a*) *historica*, wundervolle Thaten; *b*) *dogmatica*, unbegreifliche Glaubenssätze (*de trinitate*, *de incarnatione et satisfactione Christi*, *de justificatione per fidem*, *de resurrectione mortuorum*, *de visione Dei intuitiva et clarificatione corporum*)." Ita sentit F. A. KLEIN, *Darstellung des dogmat. Systems d. evangelisch-protestantischen Kirche.* *Dritte Bearbeit. von* L. LANGE. 1840. p. 104.

CAPUT II.

Inquiritur, quali sensu hae res dictae sint μυστήρια.

§ 34.

Inquisituri, quali sensu ea, quae vidimus mysteria appellata esse in religione Christiana, sint ita appellata, denuo ipsos auctores exponentes hac de re audiamus necesse est. Videamus igitur rursus de singulis, quae dicta sunt mysteria.

A. Trinitas.

De ea dicit, uti jam vidimus, ABAELARDUS: »Incassum .... laboramus, si id aperire quaerimus,.... quod .... omnino aperiri non potest, ut illud videlicet ineffabile Trinitatis mysterium." cf. § 29. — LOMBARDUS l. l. hac ratione de re loquitur: »Mens deficit, vox silet,.... supra potestates, et supra Angelos, et supra Cherubin, et supra Seraphin, et supra omnem sensum est: .... tu ergo ori manum admove: scrutari non licet superna mysteria." At alio loco hoc disertius effatur, dicendo: »Hic enim rationis ordo postulat, ut qui in primo libro de inexplicabili mysterio summae Trinitatis irrefragabili Sanctorum attestatione aliquid diximus, ac deinde in 2° lib. conditionis verum ordinem, hominisque lapsum sub certis authoritatis regulis insinuavimus: de" sqq. In fine libri 2di *Sententiarum.* — Eodem modo sentit BERNARDUS: »Non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnum est, et quid

venerandum, non scrutandum." Cf. § 29. Loco citato hac de re habet CALVINUS: »Longe vero tutius est, in ea quam tradit relatione subsistere, quam subtilius penetrando ad sublime mysterium, per multas evanidas speculationes evagari." Disertius vero mentem suam exponit, dicens (1): »Quod si quae subest in una divinitate Patris, Filii, et Spiritus distinctio (ut est cognitu difficilis) ingeniis quibusdam plus facessit negotii et molestiae, quam expediat, meminerint labyrinthum ingredi hominis mentes dum suae curiositati indulgent: atque ita regi se sustineant coelestibus oraculis, utcunque mysterii altitudinem non capiant."

B. Incarnatio.

Hanc ISIDORUS PEL., l. l. in § 30, appellat »mysterium, quod a nemine comprehendi queat, omnem quippe et sermonis et mentis vim excedens" (2). De industria de ea exponit GREGORIUS M., ita dicens: »Omnis vero, qui incarnationis ejus mysterium juxta humanam sapientiam discutere conatur, carnes agni aquâ vult coquere, id est, dispensationis ejus mysterium per dissolutam vult scientiam penetrare. Qui ergo Paschatis gaudii solemnitatem celebrare desiderat, agnum nec aquâ coquat, nec crudum comedat: ut neque per humanam sapientiam profunditatem illius incarnationis penetrare appetat, neque in eum tamquam in purum hominem credat" (3). BERNARDUS ita judicat: »Abyssus plane imperscrutabilis, incarnationis dominicae sacramentum: abyssus

---

(1) *Instit.* L. I. c. XIII. 21.

(2) *Μυςήριον .... οὐδενὶ ἐφικτόν· παντὸς γὰρ ἐπέκεινα καὶ λόγου καὶ νοῦ καθέςηκεν.*

(3) In *Euang. Hom.* L. II. H. XXII. 8. e. l.

impenetrabilis, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, et in quo hauriam, non est mihi" (1).

THOMAE A KEMPIS sententia facile ex iis quae de Eucharistia dicit, et mox allegabuntur, intelligi potest. CALVINUS rem talem habet, ut fere nihil sit, quocum comparari possit. Cf. l. l.

C. Eucharistia.

Mysterium hoc perhibent fere ubique PASCHASIUS (2) et RATRAMNUS, quorum hic v. c. dicit: »Scientes, quod tanti secreti mysterium non nisi divinitate revelante possit agnosci," § 3. Et alio loco, »mysterium," inquit, »dici non potest, in quo nihil est abditum, nihil a corporalibus sensibus remotum, nihil aliquo velamine obtectum," § 9. (3).

ANSELMI hac de re sententiam optime efficimus ex eo, quod hanc exhibeat Sacramenti definitionem: »Est res occulta, i. e., mysterium sive mysticum aliquid" (4).

Optime autem mentem suam hac de re exposuerunt THOMAS AQUINAS et A KEMPIS. Ille enim:

»Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

---

(1) Cf. § 30 et alia ibi citata loca.

(2) Cf. § seq. 42.

(3) In libro: BERTRAM OR RATRAM, *Concerning the Body and Blood of the Lord.*, Lond. 1688. p. 134, 140.

(4) *Enarr. in* 1 Tim. III. 15.

Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui

. . . .

. . . .

Praestet fides supplementum
Sensuum defectui" (1).

Hic ita loquitur: »O invisibilis conditor mundi Deus, quam mirabiliter agis nobiscum, quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temet ipsum in sacramento sumendum proponis! Hoc namque omnem intellectum superat" (2). Alibi: »Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium, et ad credendum illud indubitata fide me robora. Est enim operatio tua non humana potentia, tua sacra institutio non hominis adinventio. Non enim ad haec capienda et intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quae angelicam etiam subtilitatem transscendunt. Quid ergo ego peccator indignus, terra et cinis, de tam alto sacro secreto potero investigare et capere?" (3) Alio rursus loco haec habet: »Cavendum est tibi a curiosa et inutili perscrutatione hujus profundissimi sacramenti, si non vis in dubitationis profundum submergi. Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Plus valet Deus operari, quam homo intelligere potest.... Beata simplicitas, quae difficiles quaestionum relinquit vias, et plana ac firma pergit semita mandatorum Dei. Multi devotionem perdiderunt, dum altiora scrutari voluerunt. Fides a te exigitur et sincera vita, non altitudo intellectûs, neque profunditas mysteriorum Dei.

(1) In Op. I. p. 42.
(2) L. I. IV. I. 10. cf. *ib.* I. 11.
(3) *Ib.* c. IV. 4.

Si non intelligis nec capis, quae infra te sunt, quomodo comprehendes, quae supra te sunt?" (1)

D. Praedestinatio.

CALVINI de ea sententia optime ex eo elucescit, quod ipse reprobat eorum agendi rationem, qui omnem praedestinationis inquisitionem coërcere velint. Hoc tamen ideo reprobat, quia ii consilium propositum nunquam possint attingere, quandoquidem humanum ingenium non ita se coërceri patiatur (2).

Concilii Tridentini sententia jam inde quaenam sit liquet, quod praedestinationis mysterium appellet *arcanum*. Uberius autem liquet ex eo, quod loco laudato additur: »nam nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit" (3).

Synodus Dordracena etiam mysteria habuisse videtur res non intelligendas, uti liquet quando, expositâ doctrinâ *electionis* et *reprobationis*, homines, hujus reprobationis sequelis facile terrendos, sedare conata pergit: »Adversus hanc gratuitae Electionis gratiam, et justae Reprobationis severitatem obmurmuranti, opponimus hoc Apostolicum, *O homo! tu quis es, qui ex adverso responsas Deo?* Rom. 9: 20. Et illud Servatoris nostri, *Annon licet mihi quod volo facere in meis?* Matth. 20: 15. Nos vero haec mysteria religiose adorantes, cum Apostolo exclamamus: *O profunditatem divitiarum, tum sapientiae, tum cognitionis Dei! Quam imperscrutabilia sunt Dei judicia, et ejus*

---

(1) Ib. XVIII. 1, 2. cf. Ib. 5: »Omnis ratio et naturalis investigatio fidem sequi debet, non praecedere nec infringere," sqq.

(2) Cf. locus primo laudatus in § 32.

(3) Cf. et ejusdem sessionis Can. XVI.

viae impervestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini?" sqq. (1).

E. Satisfactio.

Hac de re solum referre possumus, quae docet MUNTINGHIUS: »A nobis vero, quamquam plenior hujus rei notitia vitae demum futurae reservata videatur, aliquae tamen hujus mysterii rationes quasi per transennam conspici possunt" (2).

§ 35.

DÖDERLEINII et MUNTINGHII hîc separatim apponere lubet sententias, quum uterque exhibeat generalem mysteria in religione Christiana contemplandi rationem, quae ideo facile ad omnia quae mysteria esse intelligat uterque et multi cum his alii, applicari potest.

Prior haec dicit: »Si quae notitiae rerum, quarum modus in intelligentiam humanam non cadit, clare docentur, *mysteria* .... dicimus" (3).

Alter: »Tandem differunt quoque articuli religionis divinitus patefactae, ratione habita perspicuitatis: sunt enim aliqui tam clari atque evidentes, ut ipsa etiam ratio humana, sibi relicta, eos detegere potuisset, v. c. .....; aliqui autem tales sunt, quos ratio, suis usa viribus, numquam reperire potuisset, qui *mysteriorum* nomine appellari solent."

»Ex usu scilicet vocis μυςηρίον in N. F. generatim *mysteria* appellandae sunt tales doctrinae, quas ratio humana, sibi relicta, numquam detegere posset, verum de quibus per solam nobis constare potest patefactionem divinam; harum vero doctrinarum duplex enumerari potest species; vel enim tales sunt,

(1) Cap. I. Can. XVIII.

(2) Cf. locus l. in § 33.

(3) *Instit. Th. Ch.* I. 71.

quarum exsistentia quidem non nisi per revelationem divinam cognosci possit, ast quarum modus, postquam revelatae sunt, rationi impervius non sit....; vel sunt tales, quarum non tantum exsistentia e sola revelatione divina cognosci possit, at quarum etiam *natura interior*, postquam revelatae sunt, ratione intelligi nequeat, quae sensu omnium maxime proprio *mysteria* vocantur, e. c. doctrina de Deo Patre, Filio, ac Spiritu S., de liberatione hominum per Jesum Christum, de futura corporum humanorum resuscitatione." .....

»Haec *mysteria*, licet, ratione habita exsistentiae suae, *perspicua* sint; respectu tamen naturae suae interioris non quidem rationi humanae contraria (*contradictoria*), at vero nobis, saltem in vita hac terrena, penitus *incomprehensibilia* sunt, quae igitur non petulanter rimanda, sed fide, modeste se revelationi divinae submittente, amplectenda sunt" (1).

Placet adhuc apponere LUTHERI de mysteriis sentiendi rationem, eandem quam in Ecclesia vigentem vidimus, sed non de iisdem rebus adhibitam. »Was," inquit, »sind denn nun die *mysteria* Gottes? Nichts Anders, denn Christus selbst, das ist, der Glaube und Evangelium von Christo: denn Alles, was im Evangelio geprediget wird, das ist von Sinnen und Vernunft ferne gesetzet und aller Welt verborgen; mag auch nicht erlanget werden, denn allein durch den Glauben; ...... Und das ichs aufs klärlichste sage, *mysterium* ist, wenn du hörest die Dinge,

(1) L. l. I. p 72, 73. Paulo ulterius ea vocat: »intelligentiam nostram superantia." Aliorum mysterii descriptiones v. apud BRETSCHNEIDER, *Versuch einer systemat. Entwick. aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe*, § 29 ed. tertiae p. 171—174.

die du in deinem Glauben behältest, das Christus, Gottes Sohn, von einer Jungfrauen geboren, gestorben, auferstanden sey; und das Alles um Vergebung unserer Sünde. Denn dieser Dinge siehet das Auge keines, begreift die Vernunft keines..... Niemand kann davon wissen, denn der es aus dem Evangelio höret und gläubet, est ist zu ferne von Sinn und Vernunft. So sind nun Gottes *mysteria* nichts Anders, denn die Dinge oder Güter, die von Christo durchs Evangelium gepredigt werden, und die allein der Glaube fasset und behält" (1).

Haec valent *universe*, quoad mysteria contemplandi rationem, sive appellationis rationem attinet. Observandum autem est, hanc contemplandi rationem non solam ac unicam fuisse in Ecclesia Christiana, quae a Jesu Apostolorumque sentiendi ratione recederet, sed, inprimis eo tempore, quo patefactio Christiana constare habebatur doctrinâ, apud hos illosve viros doctos viguisse sententiam, mysteria (proxime ea, de quibus in N. T. est sermo) esse: *doctrinas, antea absconditas, nunc autem magis minusve patefactas* (2).

---

(1) *Opp.* ed. WALCHII. XII. 81, 82.

(2) Cf. HESS, *Lehre, Thaten und Schicksale unsers Herrn.* I. 223. ed. *Sae.* de mysteriis (ex Jesu mente) dicens: »Lehren, welche freylich damals noch eine zurückhaltende Vortrags- oder Behandlungsweise forderten, aber gleich nach Vollendung seiner Schicksale in's möglichst-helle Licht unter Juden und Heiden gesetzt werden sollten," quocum cf. USTERI, *Paulinisches Lehrbegriff*, 1824, p. 124.

Concludimus ergo, ea quae hac sectione disputavimus, luculenter ostendere, *μυςήρια in Ecclesia Christiana habita esse res, aut plane aut partim, non intelligendas, humanae rationi non comprehendendas* (et, uti hic illic liquet, aut *singulari demum palefactione, aut in altero rerum statu revelandas*).

§ 36.

Conclusio.

Hacce parte absoluta, ita concludimus, de *μύςηρίοις* in Ecclesia Christiana aliâ ratione, ac quae fuit Jesu et Apostolorum ratio, existimatum esse post hos in Ecclesia; et quidem hac, ut *μυςήρια* habita sint cum *res abscondendae*, ritus v. c. sacri, Baptismus et S. Coena, aut doctrina de iis, et de Trinitate; tum *res non intelligendae* (absconditae), ad quas relatae sunt Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, Praedestinatio, Satisfactio, caet.

PARS III.

DISQUIRITUR, DIVERSITATIS QUAENAM SIT ORIGO.

§ 37.

Quae hactenus disputavimus, nobis ostenderunt, discrimen satis grave exstare Jesum ejusque Apostolos inter et hos subsecutam Ecclesiam Christianam. Etenim illi *μυςήρια* habebant res aut patefactas aut certo patefaciendas: haec vero ea primis temporibus habuit res abscondendas, posterioribus autem res non intelligendas. Mutatio sane gravissima ac identidem in deterius vergens!

Novam igitur ordiamur disquisitionem, qua duce persuasum nobis fiat de hujus diversitatis seu discriminis ratione ac causa. Qua in re ita agendum esse nobis proposuimus, ut singula illa, quae essent abscondenda aut non intelligenda, accurate spectemus, ordine observato, quem secuti sumus in tractandâ parte antecedente.

.Quod ut fiat, et hanc partem in duas dividemus Sectiones, quarum respondebit *prior* quaestioni: cur μυςήρια in religione Christiana habita sint res abscondendae; *altera:* quare μυςήρια in religione Christianâ habita sint res non intelligendae.

SECTIO I.

INQUIRITUR, CUR μυστήρια IN RELIGIONE CHRISTIANA HABITA SINT RES ABSCONDENDAE.

§ 38.

Primum igitur nobis videndum est de origine diversitatis, qua μυςήρια in religione Christianâ habebantur res abscondendae. Originem hujus sentiendi rationis repetendam esse censemus ab *ingenio*, hominibus omnibus indito, *ut nova antiquis comparent et commisceant*, unde neque primi Christiani novam suam religionem ab antiqua satis dignoscebant; ex quo ingenio oriebatur etiam *studium*, quod reperimus Christianis primorum saeculorum proprium, *religionem Christianam Gentilibus acceptam reddendi*.

Ipsa enim jam similitudo, quae in ritibus et doctrina de ritibus Gentilium et Christianorum obtinet, nos docet, Christianos sibi atque Gentilibus morem gessisse, in instituendis sacris.

Quod nempe attinet ad institutionem mysteriorum apud Graecos veteres obtinentium, hanc inde esse

repetendam, quod hac ratione religioni sibi proposuerint conciliare majorem honorem ac vim in animos ac mores hominum, si arcana quaedam et non omnibus intuenda ac scienda jactarent, abunde probavit vir cl. v. LIMBURG BROUWER (1). In festis ipsis, μυςήρια dictis, quae agebantur, haec nefas erat prodere, et aut communi hominum adspectui exponere, aut alios, non initiatos, de iis instruere. Notissima ORESTIS, qui mysteria divulgaverat, ALCIBIADIS, qui ea coram amicis imitatus erat, poenis gravibus afflictorum, exempla abunde ostendunt, quam religiose haec a Graecis observarentur, quamque severe illi ipsi, qui criminum talium essent rei, a Diis ex eorum opinione punirentur (2). Nefas et erat, ad haec sacra accedere homines impios, homicidas, incantatores. Maximo porro honore habebantur, ita ut et Reges Principesque extranei avide iis initiari cuperent: nam ad hominum perfectionem et felicitatem quam maxime conducere credebatur, si his illisve mysteriis essent initiati.

Quod enim ad eorum vim attinet, habebantur ab initiatis mala multimoda avertere, terrestria maritima, purificationem hominum efficere (3), magis ferendam reddere hominum vitam et sortem in futura rerum conditione (4): verbo, initiatis Deos quam maxime esse propensos, communis fuit Graecorum persuasio.

---

(1) *Histoire*, P. II. T. IV. p. 185—196.

(2) Quorum copiosa exempla exhibet v. L. BROUWER, l. l. p. 311—313.

(3) Hanc ob causam saepe appellabantur καθάρσια, καθαρμοὶ, quibus ritibus nempe subjecti erant, qui crimine aliquo majore aut actu quodam cruento vel indecoro, indignos se reddidissent adesse mysteriis eaque celebrare.

(4) Cf. PLATONIS *Phaedo*. p. 81. A.

Gradus initiationis vero erant diversi: distincta enim mysteria erant in *μικρὰ* et *μεγάλα*, quorum illa ad haec quasi erant praeparatio (1), ita ut ille, qui *magnis* initiari cuperet, nonnisi anno elapso, postquam parvis esset initiatus, juris hujus ac honoris particeps fieri posset. Quo facto, paucis exceptis, quae tantummodo sacerdotes scire fas erat, omnibus is instituebatur, quae ad mysteria rite peragenda eorumque cognoscendam indolem totam pertinebant. Hinc, qui *magnis* initiatus erat, *ἐπόπτης* dicebatur (2). Iis autem, qui initiari vellent, debebat esse integritas animi et corporis, quamobrem per tempus quoddam ante initiationem se separabant ab hominum consortio, ut sibi hanc compararent integritatem. Vestis denique, in qua quis erat initiatus, per totam vitam tanto afficiebatur honore, ut sacra haberetur, et vetustate laceratae ejus tamen religiose partes superstites servarentur, quibus involvebantur fere infantes; quia huic vesti vis adscribebatur eximia ad incantationes cujusvis generis vi noxia privandas (3).

Non quidem Romanis ejusmodi festa, in quibus arcana multa agebantur, numero plura fuere: attamen cum respublica Romana consuetudinem ageret magnam cum Graecia, et magna Italiae pars, a Graecis quippe multis habitata, appellaretur Magna Graecia, conji-

---

(1) Sive, ut ait *Scholiastes* ad *Aristoph. Plut.* Act. IV. sc. 2. v. 846, *προκάθαρσις καὶ προάγνευσις τῶν μεγάλων.*

(2) Suidas: *Οἱ τὰ μυςήρια παραλαμβάνοντες λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν μύςαι, μετὰ ἐνιαυτὸν δὲ, ἐπόπται, καὶ ἔφοροι,* (in voce *ἐπόπται*).

(3) Etiam vestis interdum Deo cuidam consecrabatur; cf. locus *Scholiastis ad Aristoph.* laudatus, et de disputatis universe v. L. Brouwer, l. l. p. 321 suiv. aliique.

cere licet, Romanis etiam talia sacra satis fuisse nota. Confirmant hoc et magna opinio, quam Romani eximii de his sacris habent, e. g. CICERO (1), et Romanorum nobilium consuetudo, qua se Athenis his sacris initiari curabant (2). Caeterum totus Romanorum cultus religionis fuit quam maxime arcanus, inprimis qui Cereri exhibebatur (3).

Haec omnia in Gentilium religione et mysteriis contemplati erant plerique Christiani veteres, imo experti erant ipsi, quum Ecclesiae Christianae sese addicerent, unde fieri non potuit, quin sponte et inconsulto nonnulla inde traducerent in novam suam vitae rationem. Argumento est nobis ille, qui primus conjunctionem religionis Christianae et Philosophiae Graecae instituere conatus est qualemcunque, Clemens Alexandrinus, cujus tria supersunt opera, quibus suam de re Christiana sententiam exposuit, *Protrepticus*, *Paedagogus*, *Stromata.* Jam vero his operibus non quidem diserte agit de mysteriis religionis Christianae his illisve, sed hanc religionem omnem tractat tanquam mysteria, Graecorum mysteriis similia iisque superiora. Nempe et a Philosophis, et a Mystagogis, qui profanos primum ad se alliciebant et a vitae prioris sordibus liberabant, istud sumse-

(1) Hic v. c. »multa," inquit, »eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse, atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita, exculti ad humanitatem, et mitigati sumus, initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi," *de Legg.* II. 14. cf. *Tusco. Disputt.* I. XIII. 29. *in Verrem.* Act. 2. L. V. 72.

(2) Cf. SUETON. *vita Oct.* 93 et loca CICERONIS laudata.

(3) Cf. HOR. *Od.* III. 2, alii.

rat, ut primum scriberet illum *Protrepticum* sive cohortationem, quae ἀποκάθαρσιν, *purgationem*, efficeret Gentilium, qua hi habebant opus, ut ad μικρὰ accederent primum μυστήρια. Quae autem ἀποκαθάρσει apud Graecos antiquos succedebat μύησις, *initiatio*, ea inveniebatur in Clementis opere altero, *Paedagogo*, qui quasi μικρὰ μυστήρια continet, sive popularem omnium Christianorum institutionem, nomine ex Gal. III. 24 petito. Tertium denique Clementis opus *Stromata* convenit cum Gentilium ἐποπτεία, quae μύησιν sequebatur, eratque mysteriorum magnorum *contemplatio;* nam continent Stromata institutionem absolutam illorum, qui supremum perfectionis Christianae fastigium attingere volunt (1). Haec igitur ostendant, quam proni fuerint Christiani veteres ad comparationem inter sacra Gentilia et Christiana, mysteriorum respectu, instituendam.

Cum hisce vero sacris Gentilium mysteriis si comparamus mysteria primorum Ecclesiae Christianae civium singula, magnam utique observamus etiam similitudinem. Vidimus enim, ea apud Graecos, instituta esse, ut conciliaretur religioni magnus honos: eandem et institutionis mysteriorum in religione Christiana esse rationem, probant BASILII verba allegata (2), ex cujus nempe mente bene constituerunt Apostoli Patresque, quae veneranda in religione Christiana erant, mysteriis occultare. Uti illa, ita et haec plerumque (saltem primis tempori-

---

(1) Nusquam haec simul ita exposuit ipse Clemens, ita ut ex uno quodam ejus loco haec omnia comprobare non possim; sed ex multis ejus locis rem exposuit P. HOFSTEDE DE GROOT, *Disp. de Clemente Alex.*, Gron. 1826, p. 5—7, 25—33.

(2) In § 28.

bus) noctu agebantur. Arcebantur ab illis non initiati clamore saepius repetito: *ἑκὰς, ἑκὰς ὅςις ἀλίτρος:* ab his, qui non erant initiati, depellebantur formula: *ἔξω περιπατεῖτε ὅσοι ἐνεργούμενοι, ὅσοι ἀμύητοι* (1). Mysteria illa religiose silentio tenere initiatis injunctum erat; at vero et ipsis Christianis illicitum erat de his, quae audiverant aut egerant aut viderant, quidquam effari. Probant enim hoc verba BASILII: »Non enim mysterium est, quod in publicum ac communem auditum effertur," et CHRYSOSTOMI: »Norunt initiati," ac vocis *μυςήριον* explicatio, quod sit aliquid: »quod non omnes norunt" caet. (2).

Eadem ratione, qua in mysteriis Graecorum, apud Christianos gradus servabantur initiationis; nam (*Pseudo-*) DIONYSIUS AREOPAGITA (3) *τῶν τελέτων ἱερουργίαν* distinguit in tres actiones *καθάρσιαν*, *μύησιν* et *τελείωσιν*, quam et *ἐποψίαν* dixit.

Christiani quoque per tempus quoddam exspectare debebant, uti Graeci antequam parvis vel magnis initiari possent mysteriis, quod liquet ex dictis GREGORII N., quibus hic suadet tres fere annos exspectare, antequam ad Baptismum accederent. Probant hoc insuper gradus, per quos tantum hujus gratiae (Baptismi) participes fieri possent; primum enim erant *ἀκροώμενοι*, deinde *γονυκλίνοντες*, postremo *βαπτιζόμενοι* (4).

Uti praeterea in iis, qui accedebant ad Graeco-

---

(1) Quod et probant BASILII verba, citata l. l.: »quae videre non initiatis illicitum est."

(2) Cf. § 28 et ibi laudata verba CYRILLI H.: *ὅτε τοίνυν* sqq. et universe de his CASAUBONUS, *de rebus Sacris et Ecclesiasticis.* Exerc. XVI. p. 555—558.

(3) Secundum CASAUB. l. l. p. 551.

(4) Cf. GIESELER, *Kirchengesch.* 1831. I. p. 307.

rum mysteria, munditiès et puritas animi adesse requirebatur, et arcebantur omnes flagitiosi, mirum sane esset, nisi et animi puritas et virtus eminens essent res, quae Christianos rituum sacrorum usu et effectu gaudere facerent (1). Unde, pro parte saltem, causa repetenda est cur tam severis affligerent poenis Ecclesiasticis *lapsos*, et gradus instituerent, per quos hi denuo essent admittendi ad rituum communionem, *πρόσκλαυσιν*, *ἀκρόασιν*, *ὑπόπτωσιν*, *σύςασιν* (2). Qua ratione autem ab his arcerentur flagitiosi et sanguine polluti, satis liquet ex modo, quo AMBROSIUS, episcopus Mediolanensis, imperatorem THEODOSIUM, qui, ob causam minus gravem, atque ratione non probandâ, urbem Thessalonicam fere depopulatus erat, cultu publico prohibuit (3). Disertis verbis id effatur CHRYSOSTOMUS, dicens: » Uti igitur non initiatorum neminem adesse oportet, ita et neminem initiatorum, qui impurus est" (4).

Magna autem cum esset Graecorum aestimatio mysteriorum, quoad eorum vim, Christiani saltem non minorem ipsorum mysteriis exhibebant. Eucharistiam enim jam IGNATIUS (5) vocat: *ἕνα ἄρτον . . . . . ὅς ἐςιν φάρμακον τῆς ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν*. JUSTINUS M. dicit non *κοίνον* esse *ἄρτον*,

---

(1) Haec in iis, qui initiarentur, adesse requirunt *Constit. Apost.* L. VII. C. 40. L. VIII. c. 32, ed. COTELERII, T. I. p. 382, 383, 417, 418. et *Concilii Eliberitani* Can. XXXIX, XLII, MANSI, II. 12, 13.

(2) GIESELER, l. l. p. 311.

(3) Res narratur a SCHMIDT, *Handb. d. Ch. Kirchengesch.* II. 82, 1802, ab ipso AMBROSIO, *Ep.* LI.

(4) *In Ep. ad Eph.* C. I. *Hom.* 3. *Opp.* T. XI. p. 23. D. e. l.

(5) In *Ep. ad Eph.* § 20.

neque *κοίνον πόμα* (1). Ita et locus GREGORII M. (2) abunde probat ex ipsius mente magnam ex Eucharistiae usu profluere salutem. Eodem modo CHRYSOSTOMUS (3) *μυςαγωγούμενους* dicit *δι' ὕδατος ἀναγεννώμενους, δι' αἵματος καὶ σαρκὸς τρεφόμενους*, et universe *μυςήρια* dicit: *πολλῆς γέμοντα σωτηρίας*. Imo ante quis fere Christianus non habebatur, quam mysteriis Ecclesiae esset initiatus.

Tanta fuit panis Eucharistiae aestimatio, ut et mortuis salutem afferre posse putabatur, quare his in ore ponebatur, sollenni nomine *viaticum* dicta. Qua in re forsan Christiani Graecos imitati sunt, qui et vestibus, quibus quis initiatus erat, magnam vim adscribebant, et mortuis *ναῦλον* in ore ponebant (4).

§ 39.

Ostendere ergo conati sumus, magnam intercedere similitudinem inter mysteria antiquorum Gentilium et Christianorum. Hoc autem nondum sufficit, quo rite respondeamus quaestioni hac parte solvendae. Quam ob rem progrediendum est ulterius et inquirendum, *quibus de causis* ad similitudinem mysteriorum antiquorum informarint ritus sacros Ecclesiae Christianae primi ipsius asseclae, et quomodo notio mysteriorum transierit a notione rerum patefac-

---

(1) Cf. supra § 28.

(2) Citatus in § 25. (3) Cf. supra § 26 et 25.

(4) Christianorum antiquorum de vi Baptismi et S. Coenae opiniones, interdum valde superstitiosas exhibet SCHMIDT, l. l. 1824. I. 352 ff., 361 ff., et universe de S. Coena cf. B. RIENSTRA, in *Comment.* inserta *Ann. Acad. Gron.* 1828—1829. Cf. de ratione initiationis tota, inter Christianos usitata, MEINERS, *Gesch. der Religionen*, II. 394—398.

tarum aut patefaciendarum ad rerum abscondendarum notionem.

Non negandum autem est, antiquos hac in re nobis duces esse non posse solos, quandoquidem non consulto rationes, quibus ducti hoc vel illud egerint, exposuerunt. Hic illic tantum quaedam indicata videmus, quae, conjuncta cum iis, quae ipsa rei natura de rationibus, cur ita egerint, exhibet, fortasse nos rationum validarum, saltem verosimilium, certiores reddent (1). Primariam nempe causam

A. A *rerum antiquarum studio*, *hominibus universe proprio* repetimus. Experientiâ enim teste, hoc studium hominibus magis minusve commune est: amor parentum, institutorum, proavorum apud posteros conjunctus esse solet cum memoriâ piâ eorum virtutes recolente, vitiorum oblivione, maxime autem cum studio, quo accepta et tradita ab his, cujusvis generis sint, prosequantur. Qua in re juniorum saepe duces sunt tam reverentia, quam seniorum exhibent experientiae ac judicandi facultati majori, quam ipsa rei natura. Etenim antiqua ista usum praestiterunt hactenus fere probatum, nova vero nil prae se ferunt nisi ipsam novitatis speciem. Exempla hujus studii antiquarum rerum nobis praebent inprimis divites

---

(1) Disquisitionem nostram, cur *μυςήρια* habita sint res abscondendae, § 28, incepimus a consulendis JUSTINI M. et hunc subsecutorum Patrum scriptis: cujus quoque aetate contendit vir doct. R. ROTHE, *de disciplinae arcani*, *quae dicitur*, *in eccl. Ch. origine*, Heidelb. 1841, sacra Christiana *formam* mysteriorum accepisse, cum antea jam eorum *notionem* haberent, quod sponte effecerat interna Ecclesiae, et imprimis Catechumenatus sive novitiatus, ratio. Quod igitur non factum prioribus temporibus, id factum est posterioribus, ut deliberato sc. consilio sacra Christiana absconderentur. Vid. § 11—14.

homines, qui, juribus privilegiisque in civitate gaudentes, maximo solent rerum novarum duci timore. Quare qui has pro viribus promovere student, eas saepissime instituunt formâ servatâ antiquâ, hominibus nempe hactenus usitatissimâ et probatissimâ.

Novitatis autem speciem maximopere religio Christiana, quum propagaretur magis magisque, prae se ferebat ac habebat revera: quare Apostolus Paulus, instituta religiosa quae ante religionem Christianam aderant, appellare solitus est *τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου*. Jesus ipse identidem, quamvis gradatim id ageret, Apostolos de ritibus Mosaicis abrogandis instituerat, et universe rerum externarum quarumvis et terrenarum studium ab iis removere conatus erat. Magnum igitur certamen religioni Christianae erat ineundum cum religione Israëlitarum, nec modo cum hac, imo et cum antiquitate totâ, in cujus cultu religioso res externae praevalebant; quum festa solennia, pompae magnificae, sacerdotum numerus copiosus, ritus sacri infiniti numero, primariam constituerent ejus partem. Externa autem talia religioni Christianae non solum non propria fuere, imo potius ab ea aliena. Totius hominis interni emendatio, vitaque sancta requirebatur in ejus professoribus, nec a religiosâ et strictâ rituum quorumdam observatione hae res pendebant, sed amore erga Deum totumque genus humanum, et inde nato studio rerum coelestium, constabant.

Haec cum ita essent, non fieri potuit quin magna hominum copia, antiquis et externis magis delectata, his acriter adhaereret: nec sane mirandum, quod qui religionis Christianae fierent socii ea, quae aderant externa, Baptismum et S. Coenam, formâ induerent propius accedente ad formam rituum, qui

antiquo sanctoque valebant usu. Mutatio enim hac ratione minus magna videbatur, qua ea, quae in veteri cultu reliquerant, iterum invenirent in forma religionis Christianae, quae religio, ex indole sua, quidem nova postulabat cujusvis generis, at, quatenus posset, haec exhibebat juncta formae antiquae et usitatae, sic minus offendens homines, hujusque formae ope explens hominum indigentiam rerum externis superiorum. Nomina ergo ista antiqua: *μυστήριον*, *μύστης*, *μυσταγωγία*, *μυσταγωγούμενοι*, *μυεῖσθαι*, *μεμυημένοι*, *ἀμύητοι*, *τελετή*, *ἐποπτεύειν*, *ἐπόπται*, *καθάρσια*, *καθαρμοί*, *sacrificium*, *altare* et quae hujus generis plura sunt, retinebantur simul cum formis antiquis, etsi novum iis substituere vellent sensum.

B. Ab una igitur parte sacra sua Christiani accommodare studuere Gentilium sacris, ne laederent horum amorem rerum antiquarum: ab altera vero parte fecisse hoc putandi sunt, ob *commune hominum studium rerum incognitarum.*

Facile enim quisque adsentit CICERONI dicenti: »Quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias;" saepe quisque videre potuit, quod nimis negligant multi ea, quae sunt in omnium conspectu, si non flocci pendeant. Uti enim homo semper ac continuo progressus studet facere in cognitione et sapientiâ reliqua, sic inprimis quaerit res, quae obscurae sunt, incognitae, arcanae. Has avide, tum quoad naturam tum quoad formam, contemplari, has penitus cognoscere cupit. Exemplis hujus rei sunto lites, primis Ecclesiae Christianae saeculis, magnâ vi ac acerbitate maximâ de rebus abstrusis ac reconditis actae, minus de vitâ agendâ vere Christianâ; et cupido hominum

cujusvis aetatis propria, qua certiores esse velint sortis futurae, media cujusvis generis adhibeant, ut finem, quem sibi proponunt, attingant, ac limites, quos ipse posuit Deus, excedant.

Huic igitur communi hominum studio accommodabant religionem Christianam ipsius socii, hoc quidem fine, ut avidius eam peterent extranei, et majore studio prosequerentur ipsi Catechumeni, spe ducti, se etiam tandem gnaros fore rei ipsius tam celebratae ac laudatae.

Hac saltem ratione eâ de re qui cogitarent, antiquorum allegare possumus testimonia. Audiamus v. c. AUGUSTINUM, dicentem: »Qui autem nondum manducant, et nondum bibunt, ad tales epulas invitati festinent..... Quomodo manducatur caro Domini et bibitur sanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contra te clausit, ut hoc nescias? Velatum est: sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem et solvisti quaestionem. Quod enim dixit Dominus Jesus, jam fideles noverunt. Tu autem Catechumenus diceris, diceris Audiens, et surdus es. Aures enim corporis patentes habes, quia verba quae dicta sunt, audis: sed aures cordis adhuc clausas habes, quia quod dictum est non intelligis. Disputo, non dissero. Ecce Pascha est, da nomen ad Baptismum. Si non te excitat festivitas, ducat ipsa curiositas: ut scias quid dictum est, *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo*" (1). Alibi dicit idem: »Cum omnia nunc ferant Catechumeni, nondum accepto Spiritu Sancto? Quia et si non eis fidelium sacramenta produntur,

(1) *De verbis Domini Sermo*, C. XXXII. 1. *Opp.* T. V. P. I. p. 450. A. e. 1.

non ideo fit, quod ea ferre non possint, sed ut ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur" (1).

C. Hisce accedit, quod horum mysteriorum institutione carere vellent, ne Gentiles, ob ritus proprie simplices, ludibrio haberent ipsam religionem Christianam, ac insuper, ne Christiani illi, qui omnia nec intelligerent, nec ferre possent, offenderentur. Ritus enim illi, qui in cultu antiquo aderant, desiderabantur in cultu religionis Christianae: Apostoli non postulaverant magnificam initiationem ab iis, qui Christiani fieri vellent, sed tantum annunciabant Jesum Christum, et huic fidem haberi volebant. Haec igitur Gentilium de simplicitate rituum Christianorum opinio non omni fundamento carere multis videbatur: qua de re Christiani, ut majorem existimationem et gloriam conciliarent religioni Christianae, mysteria instituere talia, quae vidimus, vel potius rebus ex Jesu institutione simplicissimis addidere formam quandam mysteriorum. Haec ipsorum Patrum effata satis luculenter indicant, a quibus nempe hoc maxime urgetur, ne contemtui ac risui non initiatorum ritus sacri exponantur. Hoc agit e. g. ATHANASIUS, dicendo, »nefas esse mysteria apud non initiatos traducere, ne Ethnici, horum ignari, irrideant, Catechumeni vero, ad curiositatem deducti, scandalizentur" (2). Eandem quoque ob causam quaedam in religione Christiana esse abscondenda

---

(1) *Tractat.* XCVI. 3, *in Joh. Opp.* T. III. P. II. p. 535. E. e. l.

(2) *Apol. in Arianos.* 11. *Opp.* T. I. P. I. p. 133. B. ed. Bened.: *Οὐ χρὴ γὰρ τὰ μυςήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ Ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες γελῶσι, κατηχούμενοι δὲ περίεργοι γενόμενοι, σκανδαλίζονται.*

et reticenda ipsis Christianis, ORIGENES, ab hac quoque parte religionem Christianam defendens, contendit (1). Inde autem majorem nasci mysteriorum reverentiam et venerationem, diserte etiam Patres enunciant; putat v. g. BASILIUS, bene ea, quae essent veneranda, ab Apostolis Patribusque in mysteriis esse occultata (2), et AUGUSTINUS hac de re dicit: »Non autem mirari debetis, Fratres carissimi, quod vobis inter ipsa mysteria de mysteriis nihil diximus, quod non statim ea, quae tradidimus, interpretati sumus. Adhibuimus enim tam sanctis atque divinis honorem silentii: et inter illos sacros mysteriorum apparatus a docendi cessamus officio; ut tantam divinae gratiae majestatem, quae nullis hominum vocibus digne explicari potest, amplius tacendo veneremur" (3). Ab hac igitur parte simplicitas rituum Christianorum causa occultandi existimanda est.

Haec, quae disputavimus, universe pertinent ad solvendam quaestionem, quare *ritus sacri*, ac *doctrina de iis*, essent abscondenda. Facile enim, ut singulatim de *doctrina* haec addamus, liquet, etiam in hac abscondendâ ductos fuisse primaevos Christianos studio placendi Gentilibus, qui et ritus

---

(1) *Contra Cels.* L. III. c. 52, 53. ed. Bened. T. I. p. 482: *Ἡμεῖς γὰρ, ὅση δύναμις, πάντα πράττομεν ὑπὲρ τοῦ φρονίμων ἀνδρῶν γένεσθαι τὸν σύλλογον ἡμῶν· καὶ τὰ ἐν ἡμῖν μάλιςα καλὰ καὶ θεῖα τότε τολμῶμεν ἐν τοῖς πρὸς τὸ κοινὸν διαλόγοις φέρειν εἰς μέσον, ὅτ' εὐποροῦμεν συνετῶν ἀκροατῶν. ἀποκρύπτομεν δὲ καὶ παρασιωπῶμεν τὰ βαθύτερα, ἐπὰν ἁπλουςέρους θεωρῶμεν τοὺς συνερχομένους καὶ δεομένους λόγων τροπικῶς ὀνομαζομένων γάλα.*

(2) Cf. § 28.

(3) *Sermo II ad Neophytas*, in App. T. VI. p. 786. D. E. e. 1.

sacros et doctrinam de ipsis abscondebant, et certo demum quodam tempore elapso, omnia initiatis revelabant. Ita et Gentiles sibi propensos reddere conatos esse doctrinâ jactandâ de mysteriis eorumque vi sublimi, non est, quod accurate in lucem ponamus, cum ex antecedentibus satis superque derivari possit. Imo, AUGUSTINUS, ut vidimus, homines curiositate ductos esse vult, ut intelligant totam rationem mysteriorum.

Rationem, cur doctrinam de Deo Patre, Filio et Spiritu S., rem non initiatis abscondendam habuerint antiqui, non disertis, quoad saltem nobis patuit, indicant verbis. Conjicere autem si liceat, causa proxima in eo sita esse videtur, quod ita evitare studerent Gentilium objectionem, se, quamvis Monotheismi acres vindices se gererent, revera esse Polytheistas. Communis enim quo magis fiebat opinio, in divinâ substantiâ tres esse distinctas personas divinas, non potuit fieri, quin essent Gentiles ipsis objicientes, ipsos, acriter urgentes personarum distinctionem, revera esse Polytheistas. Talem autem objectionem enervare studebant Christiani, si rem proponerent nondum initiatis abscondendam, dum interior rei cognitio tantummodo reservaretur initiatis, quippe qui plene de harum personarum relatione vera, qua servaretur et Trinitas et Monotheismus, instituerentur (1). Observemus vero simul, etiam hac in re easdem caussas, quamvis remotiores, magnam partem valuisse, quas vidimus de caeteris, quae essent abscondenda.

Hisce autem omnibus accedere necesse fuit, hanc

(1) Fuisse enim Gentiles, qui Christianos accusarent Polytheismi, videre est ex BINGHAMI *Antiqq. Eccles.* T. V. p. 48 sq.

occultationem rerum in religione Christiana obviarum quam maxime promoveri ab iis, qui ex Gentilibus Christiani essent facti, adeoque, sibi fere insciis, in religionem Christianam traducerent ea, quae in religione, quam antea coluerant, reliquissent, quibus a teneris inde essent assuefacti, quaeque igitur difficile abjicerent ac repudiarent tota quanta.

Videmus itaque, Christianis fuisse mysteria in religione Christiana res abscondendas, ne laederent hominum istius aevi studium et amorem rerum antiquarum, ut, studio ducti has res abscondendas cognoscendi, vehementer cuperent Gentiles religionis Christianae fieri cives, ne simplicitatem cultûs religionis Christianae exponerent contemtui non-Christianorum et non initiatorum, majoremque ipsi conciliarent reverentiam ac aestimationem; verbo, ut allicerent Gentiles ad rem Christianam accommodandâ religione Christianâ ipsorum Gentilium religioni.

Jam vero hanc Sectionem ita concludere posse nobis videmur, *originem diversitatis*, secundum quam Christiani putarent μυςήρια in religione Christiana esse res abscondendas, *sitam fuisse in ipsorum hominum ingenio, et formâ cultus religiosi Paganorum istius temporis, amante adhuc in religione Christiana res abscondendas, nec non in studio promovendi rem Christianam.*

SECTIO II.

INQUIRITUR, CUR μυστήρια IN RELIGIONE CHRISTIANA HABITA SINT RES NON INTELLIGENDAE.

§ 40.

Incipiamus inquirere in originem alîus diversitatis, quâ Christiani a Jesu Apostolorumque sentiendi ratione de mysteriis recesserunt, et haec habuerunt res non intelligendas. Referebant ad has etiam *Trinitatem.* In hanc igitur primum, quam accurate possimus, inquiramus, ut de origine appellationis *mysterium* certiores fiamus.

Primis rei Christianae saeculis de Patre, Filio et Spiritu S. parum est disputatum (1), nam magis vexavere homines lites de Filii Dei natura, quae ex varia Christianorum indole varias produxere opiniones. Litibus de Filii cum Patre relatione acriter agitatis finem imponere conatum est Concilium Nicaenum I, nil vero constituens de Spiritu S., tantum symbolo addens verba: »credimus et in Spiritum

(1) Cf. SPITTLER, *Gesch. d. Christl. Kirche.* p. 69. *Ed. Planckii.*

S.'' Attamen sententiae Nicaenae patroni fortasse eadem ratione sibi cogitabant Spiritum S., qua Filium: saltem adversarios, quorum v. c. MACEDONIUS Spiritum S. *κτίσμα* dixit Dei, impugnabant, et, ut a caeteris distinguerent, nominibus insignivere *Macedonianorum* et *πνευματόμαχων*. Iidem, v. c. BASILIUS M., GREGORIUS uterque, summa ope nitebantur, ut etiam divinitatem Spiritus S. probarent. Quae lis et in causa fuit, cur convocaretur Concilium Constantinopolitanum, a. 381, in cujus »Canone I (1) approbatur et revocatur Nicaena fides de Verbi divini cum Patre *ὁμοουσίᾳ*, i. e. consubstantialitate. Damnantur insuper nefaria Macedonii et Eunomii dogmata, Spiritui Sancto divinitatem abrogantia, et blasphemantia ipsum esse Filii creaturam, atque diversae, inferiorisque a Filio substantiae. Proscribuntur simul haereses Photini .... et Sabellii, unicam in Deo personam asserentis, tribus nominibus pro suarum diversitate operationum designatam'' sqq. Adjecta est his Canonibus Concilii fidei Symbolum, quo Spiritus S. dicitur: *τὸ κύριον*, *τὸ ζωοποιὸν*, *τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον*, *τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροςκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον* (2). Hoc igitur jam Concilio substantia Spiritûs S. eadem esse dicitur, quae Filii, quae eadem rursus est ac Patris. Tali ratione, accedentibus deinde aliis, v. c. symbolo ATHANASII nomen prae se ferente, saeculo V confecto et AUGUSTINI sententiam hac de re continente, tandem constituebatur doctrina Ecclesiastica (3): »unum esse

(1) Sunt verba JOH. CABASSUTII, *Notitia Conciliorum Sanctae Ecclesiae*. 1776. p. 182. cf. MANSI, l. l. III. 558, 560.

(2) MANSI, III. 565.

(3) H. l., et in seqq. saepius, utimur vocibus *doctrina Ecclesiastica*. Ne male intelligantur, his indicari dicimus doctri-

Deum, in cujus substantia tres sint personae, Pater, Filius et Spiritus S.," quae deinde, per varia Ecclesiae saecula, eadem fere mansit.

Jam vero inquiramus in originem appellationis, qua Trinitas est dicta *res non intelligenda*. Hanc in rem doctrinam de hac Ecclesiasticam indagantes, facile de multis in hac obscuris persuasi fimus. Symbolum v. c. Nicaenum statuit, Jesum Christum Filium esse Dei, ex Patris substantia, Deum ex Deo generatum, *ὁμοούσιον* esse cum Patre. Obscurum et inexplicabile videmus hac in re, Jesum Christum, Filius cum sit, isque generatus, etiam esse Deum, qui fuit semper, nec dici potest coepisse exsistere: ipsum, cum sit Filius Dei, aeque ac Patrem esse Deum, non minorem Patre quoad indolem et naturam; namque difficile conjungitur proprietas *independentia*, quae ei, vere qui Deus sit, adscribitur, et *dependentia*, qui *filio* cuicunque, hominum sensu ac opinione, adscribitur, a Patre. Hoc et valet de Spiritu S., qui, persona quippe divina, revera independens est, et tamen ex sententia Constantinopolitanâ e Deo procedit. Uterque igitur, ex doctrina Ecclesiastica, et independens et simul dependens habendus est a Patre, hic vero plane independens. Neque porro satis clarum est harum personarum verum discrimen. Nam omnes sunt personae divinae: Spiritus S. autem progreditur ex Patre, Jesus Christus vocatur Dei Filius: quodnam ergo sit justum harum personarum discrimen, quaerit ratio humana, non solvit doctrina Ecclesiastica, personas universe habens ae-

---

nam qualemcunque, conciliis aut aliâ quadam auctoritate, in Ecclesia aut Ecclesiae cujusdam parte quavis, constitutam, hujusque sociis vel confessionem vel fidei normam constituentem.

quales. Doctrina porro, unum esse Deum, in cujus substantia tres sunt personae, vix solvit objectionem, has tres personas, quarum quaeque et Deus est, tres fieri Deos. Personam enim humano more intelligimus id, quod per se exstat, non pars neque accidens est alius cujusdam, et cogitandi, sentiendi, volendique facultate est praeditum. Hoc vero si ad dogma Trinitatis applicemus, difficile est scopulum Tritheismi evitare, quod PHILOPONI aliorumque exempla (1) docent. Variae quidem excogitatae ac prolatae sunt sententiae, quae tollerent hanc objectionem et evitarent periculum; at non obstantibus conaminibus Patrum Nicaenorum, hoc dogma constituentium, manserunt difficultates permagnae et permultae, ut frequens Conciliorum convocatio, et magna sectarum copia, de relatione *τοῦ λόγου* cum Patre, et de Spiritu S. litigantium, abunde probant (2).

Easdem vero sive ejusmodi difficultates sensisse videntur antiqui recentioresque, qui eam ob causam nolebant accuratius hanc in rem inquiri, quia humanum ingenium impar esset de rebus talibus certius fieri. Primis enim jam hujus certaminis annis MACEDONII sequaces defendere conabantur coryphaei sententiam, Spiritum S. esse *κτίσμα*, hoc dilemmate: »Si Spiritus S. esset Deus, necesse esse eum esse generatum, vel non generatum: si autem esset generatus, necesse esse eum esse generatum aut a Patre, aut a Filio: adeoque, a Patre si esset generatus,

---

(1) Cf. SCHMIDT, l. l. II. 340 ff.

(2) Plura hujusmodi exposuere: DOEDERLEIN, *Christl. Religions-Unterricht*, VI. Th. s. 280 ff. *ed. 2dae*, et BRETSCHNEIDER, *Handb. der Dogmatik.* I. 552. ed. *4ae.*

duos exstare filios, aut, si a Filio, Spiritum S. nepotem Patris evadere," caet. At ATHANASIUS iste, huic dilemmati respondere nolens, audaciam arrogantem esse existimavit, quod vellent naturam divinam perscrutari atque loqui de duobus non generatis, aut de duobus filiis: se nempe cum suis diserte pronunciasse, quod ante Patrem, secundum scripturam S., non alius adfuerit Deus, ac Filius sit Unigenitus (1). Imo ipsius Concilii Constantinopolitani temporibus jam fuisse, qui non approbarent doctrinam Ecclesiasticam, ac disputarent de relatione Filium inter et Patrem, probat oratio GREGORII NAZIANZENI, quam ad congregatos in Concilium Patres habuit. Hac nempe eos, qui curiose inquirebant in generationem Dei (J. C.), et exitum (Spiritûs), qui nullis verbis explicari potest, temere divinitatem detrectare affirmat: ac si necesse sit, ab ipsis percipi posse solis, quae rationem excedunt, aut ea non esse, quia ipsi ea non intelligant (2). Idem urget RUFINUS, dicens: »Quomodo autem Deus pater genuerit filium, nolo discutias, nec te curiosius ingeras in profundi hujus arcanum, ne" sqq. (3). De temporibus

---

(1) Rem narrat LENTZ, *Gesch. d. Christl. Dogmen.* Helmstedt, 1835. I. 149, 150.

(2) *Οἱ γέννησιν Θεοῦ πολυπραγμονοῦντες, καὶ πρόοδον ἄῤῥητον, κατεξανίςανται τολμηρῶς θεότητος· ὥς δέον ἢ ἐφικτὰ μόνοις εἶναι τὰ ὑπὲρ λόγον, ἢ μηδὲ εἶναι, ὅτι μὴ αὐτοὶ κατειλήφασιν.* MANSI, l l. III. 545 A.

(3) *Expos.* p. 18, loc. cit. ab HAGENBACH, *Dogmengesch.* 1840. I. 306, cui congruit locus, in quo, disputationem contra Arii et Eunomii sectatores aggrediens, in antecessum monet, nativitatem Jesu temporalibus verbis probari non posse, cum comprehendi nequeat. V. *Liber de fide*, § 52, inveniundus in J. SIRMONDI, *Opp. Var.* I. 185, C, D. Venet. 1728.

brevi post Concilium elapsis affirmat LENTZ (1): »Man behauptete, das alle drei *φύσει* Gott seien, und bezog, um den Schleier des Geheimnisses nicht weiter zu lüften, wie schon bei den Bestimmungen über den Logos geschehen war, Alles was das Verhältniss der drei Personen gegen einander betrifft, auf die für Menschen nicht weiter erklärbare *opera Dei ad intra* oder die *actus naturales essentiae divinae.*"

Hac ratione jam Antiqui: at vero et recentiores Theologi hanc Trinitatem, aut universe spectatam, aut ipsius partem aliquam, dixerunt non ratione humana discutiendam. Ita V. C. ABAELARDUS trium personarum distinctionem rem habet non intelligendam, nam dicit: » Cum de his confutati fuerint, de quibus praecipue impossibile eis videtur, de diversitate personarum in una et individua penitus ac simplici divina substantia, et de generatione Verbi seu processione Spiritus. De quo quidem nos docere veritatem non promittimus, ad quam neque nos neque mortalium aliquem sufficere credimus: sed saltem aliquid verisimile atque humanae rationi vicinum nec sacrae fidei contrarium proponere libet" (2).

LOMBARDUS vero magis considerat generationem Filii a Patre (3) rem non intelligendam: »Quaero item abs te, quando vel quomodo Filium putes esse generatum? Mihi enim impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet ...., supra potestates, et supra Angelos, et supra Cherubin, et

(1) L. l. p. 151.

(2) *Introd. ad Theol.* L. II. C. II. p. 1047. e. l.

(3) Symb. Nicaen. verba sunt: *'Ιησοῦν Χριςὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ.* MANSI, II. 665.

supra Seraphin, et supra omnem sensum est.... ineffabilis est enim illa generatio" (1).

Bernardus autem Claraevallensis rursus distinctionem trium personarum in una substantia rem habet non intelligendam: »Dicamus," inquit, »itaque tres, sed non ad praejudicium Unitatis: dicamus unum, sed non ad confusionem Trinitatis.... Quaerit quis quomodo illud, quod Catholicum esse dicimus, possit esse? Sufficiat ei tenere sic esse. Atque non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum" (2).

Diserte rem exprimit *Concilium Lateranense*, a. 1215 habitum, de tribus personis in unâ substantiâ statuens: »Nos autem credimus et confitemur cum Petro, quod una quaedam summa res est, et incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae, et sigillatim quaelibet earundem. Et ideo Trinitas solum est in Deo, non Quaternitas: quia quaelibet illarum personarum est illa res, videlicet substantia, natura, essentia divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest" (3).

De relatione Filium inter et Patrem, ex mente Calvini non pervestigandâ, cf. § 29.

Audiamus autem et seriorum temporum Theologos: horum v. c. Döderleinius dicit: »Noch begreifen wir es nicht, wie in Einer Gottheit drey verschiedne beysammen seyn" (4); et Muntinghius: »Wij moeten..... op het oog houden, dat de leer van den

(1) Vide § 29. (2) Cf. § 29.

(3) *Conc. Capit.* II. Mansi, XXII. 983. Cabassutius, l. l. p. 472.

(4) *Chr. Rel.-Unterr.* I. 462.

Zoon van God, en van alles, wat er behoort tot deszelfs betrekking op zijnen Vader, tot deszelfs waarlijk goddelijke natuur.... eene diepe verborgenheid is.... Hetgeen dus van de volkomene gelijkheid der natuur van den Zoon met de natuur van den Vader, of van de eenheid des Zoons met den Vader gezegd wordt, moet wel van eene ware goddelijke natuur verstaan worden; maar tevens zoo, dat daardoor aan de eenheid van God geene inbreuk geschiede: terwijl ook al wat er gezegd wordt van den Zoon, als ondergeschikt aan den Vader, zóó moet opgevat worden, dat het de eenheid des Zoons met den Vader niet benadeele" (1) caet. — In causa nostra et verissima sunt, quae alibi dicit vir clar.: »Aan de andere zijde.... heeft.... alles, wat ons de Heilige Schrift nopens God, den Vader, Zóon en Heiligen Geest geleerd heeft, hét ongeluk gehad, dat het, bij gelegenheid van menigvuldige en dikwijls met onstuimige drift gevoerde twisten, onder de bearbeiding van onverstandige, doldriftige, en hunne eindigheid vergetende menschen, door zoogenaamde verklaringen, beschrijvingen, bepalingen, onderscheidingen, zoo ver is afgeweken van de eenvoudigheid der zuivere Bijbelleer, dat het op zijn best het voorkomen verkreeg van een beschouwelijk leerstuk, waarbij men tot onze zedelijke volmaking geen belang had; ja, hetwelk zelfs velen.... lijnregt tegen het gezond menschenverstand, en tegen de eenheid Gods schijnt in te loopen" (2).

Satis igitur, ut videtur, probavimus, ea ipsa, quae hac in causa constituerat doctrina Ecclesiastica, per

(1) *Gesch. d. Menschh.* enz. IX. 67, 68. ed. 1mae.

(2) *Leerredenen*, Gron. 1824. p. 193, 194.

varia Ecclesiae saecula, viris doctis fuisse non explicanda: et ideo concludimus: *diversitatis originem*, qua μυστήριον dixerint rem non intelligendam, quoad Trinitatem, *sitam esse in doctrinâ Ecclesiasticâ, quae* (litigando, definiendo, describendo, a verbis Jesu Apostolorumque deflectendo) *constituerat de Patre, Filio et Spiritu S. talia, qualia revera rationem captumque humanum non raro fugiebant.*

§ 41.

Pergamus videre de *Incarnatione.* Intelligitur haec sensu Ecclesiastico fere: conditio Jesu Christi, qua, persona cum esset antea divina, assumsit carnem humanam. Hac ratione saltem videtur intellexisse *Concilium Nicaenum I*, dicendo: Jesum Christum, Deum verum ex Deo vero generatum, nostrûm causa carnem esse factum et formam humanam assumpsisse (1). *Concilium* porro *Ephesinum* NESTORIUM damnavit ejusque sententiam, Mariam non esse Θεοτόκον: et *Concilium Chalcedonense* statuit Dominum nostrum Jesum Christum ex duabus distinctis naturis, divinâ humanaque, non confusis et non permixtis constare, et divinitate quidem Deo Patri, humanitate vero nobis esse consubstantialem, ac per omnia nobis similem absque peccato (2).

---

(1) Πιστεύομεν .... εἰς .... Ἰησοῦν Χριστὸν .... γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα· .... τὸν δι' ἡμᾶς .... κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα κ. τ. λ. MANSI, II. 665, 668. Concilium Constantinopolitanum verbis καὶ σαρκωθέντα addidit: ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ μαρίας τῆς παρθένου.

(2) Symbolum Concilii plene exhibet GIESELER, l. l. I. 394.

Primis autem jam temporibus haec doctrina continere visa est obscura quaedam, cui et res ipsa et Conciliorum definitiones ansam dederunt. Res enim ipsa, duarum naturarum in una conjunctio talis, qua non duae hae naturae confundantur neque immisceantur, inseparabilis, humano ingenio capienda non est, imo experientiâ non praebente hujus rei exempla prorsus incognita. Ansam autem etiam dedit ratio, qua Concilia rem definiebant; nam divinae naturae, praestantis illius, independentis, perfecte sapientis, omnipotentis, benevolae (1), caet. conjunctio cum humana, dependente illa ac a perfectione divinâ ut coelum a terra distante, non quidem genere at gradu, non est talis, quae sit capienda ac intelligenda humanae rationi.

Praeterea et ipse hujus conjunctionis modus prorsus homines latere dicendus est. Ipsa enim hominum vulgarium quum jam obscura sit ac ratione humanâ non pervestiganda procreatio ac origo, longe magis illa nativitas seu origo Jesu, quae constitueret conjunctionem illam, non potuit fieri, quin homines lateret et etiamnum lateat. Insolitum quid ac prorsus inauditum fuit illa Mariae conceptio, qua non patri humano sed Spiritui S. origo Jesu est adscribenda. Hunc denique si spectemus, qui homo natus est, multa manent humanâ ratione non explicanda, quomodo v. c. is, qui *ὁ λόγος ἦν ἐν ἀρχῇ*, vel, ut ipse de se dicit: *πρὶν Ἀβραάμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι*, denuo vivere inciperet carne humanâ indutus, hominum omnium instar progrederetur, tam quoad corpus, tam quoad animum

---

(1) Symb. enim Nicaenum Jesum Christum vocat *θεὸν ἀληθινόν*.

et mentem: verbo, quomodo hic, qui antea jam exstiterat, in omnibus posset fieri similis hominibus, excepto peccato? (1).

Patres ac Theologi, de re agentes, idem enuntiarunt, nempe rem ab hac illave parte spectatam continere obscuri quid, non esse intelligendam. ISIDORUS v. c. PELUSIOTA omnem mentem superare dicit *conjunctionem* illam *naturae divinae* (*τοῦ ἀφθάρτου*) *cum naturâ humanâ* (*τῷ φθαρτῷ*), qua divina nihil capiat detrimenti (2). Eandem illam et conjunctionem, qua in Jesu Christo duae adsint naturae, CALVINUS non explicandam esse putat (3).

Ex hoc dogmate profluere, paulo post Ecclesiae Reformationem, lites, Lutheranos inter ac Calvinistas gestae, *de communicatione idiomatum*, quas conventu a. 1577 Bergae habito componere conati sunt. Hîc de Incarnatione statuebatur: »Christus ist und bleibet in alle Ewigkeit Gott und Mensch in einer unzertrennten Person, welches, nach der heiligen Dreifaltigkeit, das höchste Geheimniss ist, wie der Apostel zeuget" (1 Tim. III. 16) (4); et specialiter de exposita Communicatione Idiomatum: »Wir ...... vermahnen alle Christen, dieweil Christus ein Geheimniss in der heiligen Schrift genennet wird, darüber alle Ketzer den Kopf zerstossen, dass sie nicht fürwitziger Weise mit ihrer Vernunft in solchen Geheimnissen grübeln, sondern mit den lie-

---

(1) Cf. HOFSTEDE DE GROOT, *Waarh. in Liefde*, 1841, bl. 82.

(2) Cf. § 30. (3) Ibid.

(4) *Concordienformel.* Art. 8. XII, in: *Die symbol. Bücher der ev.-luther. Kirche, herausgeg. von* J. W. SCHÖPF, Leipz. 1827. II. 412, cll. *Erklärung*, p. 626.

ben Aposteln einfältig glauben, die Augen der Vernunft zuschliessen, und ihren Verstand in den Gehorsam Christi gefangen nehmen" u. s. w. (1).

Disertissime autem hoc, quod ostendere conati sumus, exprimit MORUS: »Putem vero, vel sic apparere, per omnia haec (descriptiones modi conjunctionis illius omni aevo prolatas) tamen non praestari id, ut tu scias modum istius rei. Omnia verba haec, quae modo recensuimus, sunt negativa: unio *non separabilis*, *non commixta*, *non confusa*. Ex altera parte si quaeras: *qualis* vero est? restat id unum: *est unio personalis*. Fortassis igitur laboratum est in his plus, quam debebat. Omnes enim fateri coguntur, esse mysterium, modum ejus rei nec perspici, nec explicari posse" (2).

Invenimus igitur originem diversitatis, qua μυστήριον sit habitum res non intelligenda, etiam quoad incarnationem, maxime sitam esse in doctrina Ecclesiastica. At quare? Quia res ipsa, ex Jesu mente, se nempe jam antea exstitisse, non est res non intelligenda, quamvis nobis quidem dicendum est, *modum* hujus rei, ejusque *originem plane singularem* et *conjunctionem cum carne humana* nos latere. At non substiterunt Ecclesiae Doctores in simplici hujus rei enunciatione Jesu et Apostolorum, sed rem ab omni parte perspectam habere volentes, et studio rerum incognitarum ducti, definitionibus addidere definitiones rem tantum negative exponentes, nova vocabula, in Scriptura S. non obvia, excogitavere,

---

(1) L. l. *Erklär.* p. 650.

(2) *Comment. Evang. Histor.* ed. ab HEMPELIO. II. 35. Hal. Sax. 1797.

quorum omnium illustre praebet exemplum Symbolum Concilii Chalcedonensis! His tamen omnibus ne minimam quidem partem scopum attigerunt; nam, uti plerumque fit, haec vocabula saepissime etiam usurpabantur ab iis, qui *θεὸν εἶναι τὸν λόγον* et Jesu praeexistentiam negarent (1).

Jam vero hujus rei *originem*, *μυστήριον*, de Incarnatione dictum, innui rem non intelligendam, *invenimus*, maximam partem, *in doctrinâ Ecclesiasticâ*, subtiliter illâ constitutâ, molestias et difficultates potius afferente, quam auferente, quod satis probat Ecclesiae historia.

§ 42.

Operis ordo postulat, ut agamus de Eucharistia. Quum saeculo VI fere post C. N. totus tunc notus orbis terrarum, magis minusve, recepisset religionem Christianam, vix *mysterium* dici potuit Eucharistia, quia Christiani e communi adspectu ritum ejus sacrum amoverent, aut doctrinam de ea reticerent. At vero, quamvis periret appellationis causa, appellatio ipsa remansit.

Temporibus autem, quibus erat abscondenda, maximopere doctrina de Eucharistia vacillavit, nec fuit ulla universe recepta; quare non potuit fieri, quin exsisteret Patrum de ea loquendi usus ita vagus (2), ut SPITTLERUS non dubitaret affirmare: »Weil man aus der Handlung des heiligen Abendmahls vor den

---

(1) Cf. DE GROOT, *Waarheid in Liefde*, l. l. p. 68.

(2) Quod exemplo IGNATII, JUSTINI, IRENAEI, ORIGENIS, TERTULLIANI, CYRILLI HIEROSOLYMITANI aliorumque probat SCHMIDT, I (ed. 2*dae*), 353—355, III (ed. 1*mae*), 375, et BRETSCHNEIDER, *Handb.* II. 689, GIESELER, I. 581, 582.

Katechumenen ein Geheimniss machte, so gewöhnte man sich an dunkle, feierliche, nichtssagende Ausdrücke. Verwandlung des Brods und des Weins in Leib und Blut Christi wurde zwar von niemand geglaubt, aber die Kirchenväter hatten doch, wenn sie davon sprachen, eine so bunte Phraseologie, dass man ihnen wohl alle Ehre anthut, wenn man vermuthet, sie hätten sich selbst nicht verstanden" (1).

Saeculo autem V THEODORETUS jam arcte pressisse videtur Jesu verba, quibus Coenam S. institueret: »hoc est," sqq., nam, »divinis," ait, »fruentes mysteriis, nonne ipsi communicamus (κοινωνοῦμεν) Domino, cujus et corpus et sanguinem esse dicimus?" (2).

Saeculo vero IX hanc vacillantem doctrinam PASCHASIUS RADBERTUS explicuit, statuens, panem et vinum Eucharistiae consecratione vere commutari in carnem et sanguinem Christi. Ita rem explicat: »Nullus moveatur de hoc corpore Christi et sanguine, quod in mysterio vera sit caro et verus sit sanguis, dum sic voluit ille qui creavit..... et quia voluit, licet in figura panis et vini maneat, haec sic esse omnino, nihilque aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt,...... non alia plane, quam quae nata est de Maria, et passa in cruce et resurrexit de sepulcro" (3). Qua de re autem Eucharistia (seu potius illa Transsubstantiatio) ipsi sit *res non intelligenda*, exponit alibi, dicendo: »Haec est.... firmitas fidei nostrae...., ubi si

---

(1) L. l. 162, 163. (2) Cf. § 25.

(3) In libro *de Corpore et Sanguine Domini*, C. I. 2, in MARTENE et DURAND, *Veterum Scriptorum et Monumentorum amplissima collectio.* IX. 383 B.

naturae ordo requiritur, succumbit ratio, et tamen manet extra humanam rationem facti veritas, ita ut in ratione fidei vis deitatis et potestas efficax modis omnibus credatur, quia dubietas mentis, licet bonae vitae sit qui accipit, excludit, ne ad hujus sacramenti intelligentiam pertingat" (1).

Obloquebantur huic sententiae RHABANUS MAURUS, RATRAMNUS, alii, quorum hic, spiritualem statuens in pane et vino praesentiam, indicat ob hoc ipsum dici *rem non intelligendam.* Dicit enim, § 9: »Ille panis, qui per sacerdotis ministerium Christi corpus conficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, et aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma praetenditur, color ostenditur, sapor accipitur: ast interius longe aliud, multoque preciosius, multoque excellentius intimatur, quia coeleste, quia divinum, id est, corpus Christi ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel adspicitur vel accipitur vel comeditur." § 18: »Igitur in proprietate humor corruptibilis, in mysterio vero virtus sanabilis." Ex ipsius vero mente etiam haec conversio aliquid secreti et non intelligendi continet: »iste namque," inquit, § 69, »panis et iste potus non secundum quod videntur corpus sive sanguis existunt Christi, sed secundum quod spiritualiter vitae substantiam subministrant." § 84: »Haec autem, dum de corpore Christi, quod in Ecclesia per mysterium geritur, dici non possunt, secundum quendam modum corpus Christi esse cognoscitur. Et modus iste in figura est et imagine.... Quod cum ita est, appa-

(1) C. II. 6. l. l. p. 386 C. D, cf. c. IV. l. l. l. p. 392 A.

ret, quod hoc corpus et sanguis pignus et imago sunt rei futurae, ut quod nunc per similitudinem ostenditur, in futuro per manifestationem reveletur" (1).

Non obstantibus horum virorum conaminibus, aevo crassiori ita accepta fuit sententia crassior, ut a *Concilio Rotomagensi*, a. 1063, confirmata sit, dein ab INNOCENTIO III, in *Concilio Lateranensi*, a. 1215, sancita fidei articulus, ac tandem a *Concilio Tridentino*, denuo inter dogmata Ecclesiae recepta (2). Hoc autem etiam in hoc dogmate conversionis agnovit, quaedam esse non intelligenda, contendens, Jesum Christum semper ad Patris dextram in caelis assidere posse, et multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesentem adesse »ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus" (3). Alibi ita audit: »Is (panis supersubstantialis) vere eis sit animae vita, et perpetua sanitas mentis; cujus vigore confortati, ex hujus miserae peregrinationis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi" (4).

Haec igitur simul jam probant, illam Eucharistiam dictam esse rem non intelligendam, quandoquidem illa conversio panis et vini (*transsubstantiatio*)

---

(1) *De corp. et sang. Domini ad Carol. M.*, in: BERTRAM OF RATRAM, *Concerning the Body and Blood of the Lord.* Lond. 1668. p. 140, 154, 214, 234.

(2) Vid. Sess. XIII. Can. I—IV.

(3) Ejusdem Sessionis Cap. I.

(4) Ibid. cap. VIII.

in carnem et sanguinem Jesu Christi erat res, quae plane captum superaret humanum, ac demum in altera vita sit revelanda. Addere tamen lubet et alia testimonia. Sic v. c. THOMAS A KEMPIS dicit: »O invisibilis conditor mundi Deus, quam mirabiliter agis nobiscum, ... quibus temet ipsum in sacramento sumendum proponis! Hoc namque omnem intellectum superat" (1). Ejusmodi fere et LANFRANCUS de re judicat: »Credimus terrenas substantias, quae in mensa Dominica per sacerdotale ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante superna potentia, converti in essentiam Dominici corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus, et quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda et cruenta horrerent: et ut credentes fidei praemia ampliora perciperent" (2). Uterque ergo hic urget, rem non esse intelligendam, qua panis et vinum fiat corpus et sanguis Christi, adeoque hic a credentibus sumatur, sub specie panis et vini, quae remaneat.

Inter Protestantes LUTHERUM et CALVINUM, eorumque asseclas, Eucharistiam habere mysterium, i. e. rem non intelligendam, notissimum est. Ille enim dicit: »Darum ist *Sacramentum* ein Geheimniss und verborgen Ding, das zwar mit Worten angezeiget, aber mit dem Glauben des Herzens verstanden wird" (3). Et: »Wir halten auch, das.... der Leib Christi gegenwärtig sei mit dem Brod und Wein im Sacrament" (4).

---

(1) Cf. § 34.

(2) *De Euchar. Liber*, in: *Magna Bibliotheca Patrum*, *ex ed.* M. DE LA BIGNE. Par. 1644. VI. p. 205. D.

(3) *Opp.* XIX 116, e. l. (4) L. l. XVII. 2490.

Hic ita rem exponit: »Unicus animae nostrae cibus Christus est, ideoque ad eum nos invitat coelestis Pater, ut ejus communicatione refecti, vigorem subinde colligamus, donec ad coelestem immortalitatem perventum fuerit. Quoniam vero mysterium hoc arcanae Christi cum piis unionis natura incomprehensibile est, figuram ejus et imaginem in signis visibilibus exhibet ad modulum nostrum aptissimis" (1).

Hasce igitur sententias, quoad rem ipsis contentam et modum praesentiae Christi sub, cum et in pane vinoque, vel modum spiritualis comessationis ipsius a fidelibus, attinet, non melius comprehendi posse ac Transsubstantiationem Pontificiorum, facile visu est. Neque hoc mirandum. Antea enim cum fuissent hi Duumviri Romano-Catholici, a teneris doctrinae de Transsubstantiatione assueti, studioque hominum communi rerum obscurarum ducti, non potuit fieri, quin praeconceptas opiniones non totas abjicerent, adeoque asseclas plures quam habuit ZWINGLIUS, simplicitati Euangelicae magis studens, habuerint.

Verba igitur citata satis indicant, auctores, sive spectantes conversionem illam, qua panis et vinum fieret Christi caro et sanguis substantialiter, sive illam qua id tantum fieret spiritualiter, hanc rem

(3) *Instit.* IV. c. 17. 1. cf. ib. § 7. 10. 11. Corpus et sanguinem Christi cum pane et vino adesse in sacra Coena etiam statuit *Form. Concord.* Art. 7. I, et hoc corpus et sanguinem non solum spiritualiter per fidem, sed et corporaliter (mündlich), et hoc quidem modo supranaturali (in *Erklär.* additur: non intelligendo, p. 594) coelesti, accipi, VI. e. l. p. 399, 401. Hanc praesentiam non esse intelligendam, affirmat in *Erklär.* p. 573, simpliciter esse fide accipiendam, p. 586, 587.

habuisse non intelligendam, ac, ut v. g. *Concilium Tridentinum*, demum alterâ vita revelandam. Jesum Christum in pane et vino praesentem adesse, videntur omnes affirmasse: modus autem, uti vidimus, ab aliis aliter explicabatur. Hanc praesentiam qualemcunque Ecclesia solita fuit appellare *rem non intelligendam*.

Quando vero tali ratione appellabatur conversio illa, fiebat aut hanc ob causam, quod non esset explicandum, qua ratione haec commutatio panis et vini in carnem et sanguinem locum haberet: aut, quomodo, salvâ istâ commutatione, nihilominus species panis vinique remaneret: quomodo Jesu Christi corpus et sanguis a credentibus consumeretur, sub specie autem panis et vini (1): haec omnia et quae hujus generis plura sunt, latebant prorsus, et intellectu humano non erant capienda. Hac de causa istius aevi homines haec omnia *fide* tantummodo accipienda voluerunt, neque discutienda ratione: eaque defenderunt, appellando ad Dei omnipotentiam. Tales enim res credi tantummodo possunt, intelligi ac ne sentiri quidem, quod lectoribus non peculiari disquisitione esse probandum, confidimus ac speramus.

Credi enim modo potest, utra harum opinionum accipiatur; singuli enim harum opinionum patroni Jesum Christum in pane Eucharistiae comedere sibi videbantur. Cum enim in carnem et sanguinem Jesu Christi vel substantialiter sive corporaliter, vel spiritualiter commutata sint panis et vinum, (sive accipiatur, Jesum Christum *consubstantialiter* adesse in Eucharistia, sive »proprium et naturale cor-

(1) Quod et ad subtilissimas et indecoras quaestiones ansam dedit, cf. GIESELER, II B. 1 Abth. 85.

pus et proprium sanguinem Christi" spiritualiter per fidem manducari), non potuit non, quin hae opiniones, quoad rem nostram, eosdem fere haberent effectus. Namque v. c. non potuit non fugere Apostolorum captum, quomodo Jesus Christus, qui iis adesset, eodem temporis puncto, ab ipsis manu teneretur et comederetur substantialiter. Eodem modo eos fugere debuit, quomodo Jesus spiritualiter adesset in pane et vino: nam talis commutationis aut praesentiae ne minima quidem observari potuit pars.

Concludimus, *originem*, qua mysterium sit habitum res non intelligenda, quoad Eucharistiam, *sitam esse in doctrinâ Ecclesiasticâ vulgari*, quippe quae de eâ constituerat talia, quae ab omni parte intelligentiam excederent humanam.

§ 43.

Videamus de Praedestinatione. Haec sensu ecclesiastico huc redit: Deum ex toto genere humano, per Adami peccatum corrupto et infelici, nonnullos extrahere perniciei huic constituisse, nulla horum ratione habita operum, caeteros vero in hac pernicie sinere remanere, in quam se ipsi immerserunt (1).

---

(1) Cf. *Confess. Belgica.* XVI. *Canones Syn. Dordracenae* Cap. I. Can. VII. AUGUSTINUS jam praeiverat, dicendo, *De corrept. et gratia*, c. X. 28. *Opp.* T. X. P. I. p. 506. A. e. l.: »Quia vero (Adamus) per liberum arbitrium Deum deseruit, justum judicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quae in illo adhuc posita tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratiâ Dei liberantur, a damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obstricti. Unde etiam si nullus liberaretur, justum Dei judicium nemo juste reprehenderet." Idem postea repetiit CALVINUS, *Instit.* III. XXI. 5: »Praedestinationem vocamus aeternum Dei decretum, quo apud se consti-

Hanc praedestinationem etiam rem non intelligendam existimatam esse, ostendunt loca antea a nobis citata (1). Magnam partem etiam esse obscuram et intellectu perdifficilem, cuicunque facile liquet et constare potest e litibus hac de re actis (2).

Uti cujuscunque aevi homines dogmata sua e Codice S. sibi eruere videbantur (3), ita et hujus dogmatis auctores praecipui Codice Sacro hoc niti et putarunt et probarunt suo quisque more. Defendenda enim erat haec sententia: Deo esse consilium nonnullos per Christum servare, caeteros autem perni-

---

tutum habuit quid de unoquoque homine fieri vellet .... aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur." Hanc doctrinam, magis minus, et esse et fuisse doctrinam Ecclesiasticam, ostendit BRETSCHNEIDER, *Handb.* II. 124.

(1) § 32 et 34.

(2) Non defuerunt enim quovis tempore, qui se huic dogmati vehementissime opponerent, ut constare potest ex causa monachi GODESCHALCI, qui antiquam AUGUSTINI repetebat sententiam, auctoritate Ecclesiae stabilitam, experiebatur tamen sententiae suae, seu potius patroni sui AUGUSTINI, damnationem per Concilia. Ita et *Concilii Tridentini* Sess. VI. Cap. XII strenue se opposuit M. CHEMNITIUS, docens de electione esse judicandum ex Euangelio: hoc autem de ea loqui, »non sicut Poëtae de tabulis Parcarum fabulantur, alios ad vitam, alios ad mortem adscriptos esse," et insuper »multa inextricabilia et portentosa necti de praedestinatione a spinosis ingeniis," caet. *Examen Concil. Trid.* I. p. 310, 311. Francof. 1606.

(3) Ita ut v. c. HEYDANUS, apud MUNTINGHIUM, *Theol. Ch.* I. 299, censuerit »de praedestinatione tam multum sermonem fieri in sacra scriptura, ut vix copiosius de ulla re agatur." MUNTINGHIUS autem, qui in priore editione libri citati quatuor S. Scripturae loca ad hoc dogma probandum allegaverat, in altera editione forte unum, Rom. VIII. 28—30, hac de re agere sibi visus est, quem unum autem locum Ven. J. VAN DER LINDEN V. S. in ipsius *Bijdragen voor de zuivere Bijbelleer, of het oude kleed zonder nieuwe lappen,* N°. 6. intelligit agere de praedestinatione, ex mente Pauli, *in similitudinem imaginis Jesu.*

eiei relinquere, contra Codicis Sacri effata: Deum per Christum omnes servare velle homines, eos, qui in Christum credant, vitam habere aeternam, Christum propitiationem esse pro nostris peccatis, neque solum pro nostris, sed pro totius mundi peccatis, Deum primum homines dilexisse, eosque ad veri cognitionem pervenire ac beatos fieri velle, Deum nolle mortem peccatoris, imo hunc in finem Jesum Christum in mundum misisse, ut hunc ad resipiscentiam vocaret, ac de unius peccatoris resipiscentia sibi gaudere Angelos in coelo, praedicandum denique esse Euangelium omnibus creaturis.

Multae et inde aliae difficultates, multaque obscura nascebantur, inprimis si dogma hoc simul consideraretur cum dogmate arcte ei connexo, de hominis impotentiâ ad ullum agendum bonum ac de perseverantiâ Sanctorum, quod ostendere potest historia litium Lutheranos, Remonstrantes inter et Contraremonstrantes actarum.

Tales vero difficultates etiam sententiae coryphaei ipsi sentiebant: quam ob causam AUGUSTINUS aeque ac CALVINUS defendebant rem imprimis appellando ad Dei voluntatem omnipotentem, causam rerum omnium ultimam. At audiamus hos aliosque de singulis! »Hic," inquit AUGUSTINUS, »si a me quaeratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, a quibus eam, qua Christiane viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo .... Quantum itaque nobis judicia sua manifestare dignatur, gratias agamus: quantum vero abscondere, non adversus ejus consilium murmuremus, sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis quibusdam Deus quos regeneravit in Christo, quibus fidem,

spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cum filiis alienis scelera tanta dimittit, atque impertita gratia faciat filios suos.... Sed etiam illud non minus mirum est, et tamen verum, atque ita manifestum, ut nec ipsi inimici gratiae Dei quomodo id negent valeant invenire, quod filios quosdam amicorum suorum, hoc est, regeneratorum bonorumque fidelium, sine Baptismo hinc parvulos exeuntes, quibus utique si vellet hujus lavacri gratiam procuraret, in cujus potestate sunt omnia, alienat a regno suo, quo parentes mittit illorum, et quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, et per hoc lavacrum introducit in regnum, a quo parentes alieni sunt: cum et illis malum, et istis bonum meritum nullum sit parvulis, ex eorum propria voluntate. Certe hîc judicia Dei, quoniam justa et alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari..... Nec miremur nos vestigare non posse investigabiles vias ejus. Ut enim alia innumerabilia taceam, quae aliis dantur, aliis non dantur hominibus a Domino Deo, apud quem non est acceptio personarum, nec tribuuntur ista meritis voluntatum" (1). Alibi habetur: »Proinde librum vel epistolam meam,..... secundum hanc fidem intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, ut a Dei gratia separetis, tamquam sine illa vel cogitare aliquid vel agere secundum Deum ulla ratione possimus, quod omnino non possumus." — »Ipse non intelligitur, quando difficillimam quaestionem, et paucis intelligibilem, solvere atque denodare conatur. Ipsa est enim quaestio de

---

(1) *De Corrept. et Grat.* VIII. 17, 19. *Opp.* T. X. P. I. p. 501. C. D. e. l.

gratia Dei, quae fecit ut homines non intelligentes, putarent Apostolum Paulum dicere, *Faciamus mala, ut veniant bona*..... ubi sentitis vos non intelligere, interim credite divinis eloquiis, quia et liberum est hominis arbitrium, et gratia Dei, sine cujus adjutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo" (1). Alibi rursus dicit: »cur autem istum potius, quam illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus" (2).

Concilium Arausiacum, a. 529 habitum, Canone XII putat: »Jure admirandum, atque inter arcana inscrutabilia Dei habendum, cur hujus misereatur, illius non misereatur" (3).

Ejusmodi quid et CALVINUS de re dicit: »Non dubitabo igitur cum AUGUSTINO simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem" (4). Alibi: »Quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur, sua constet aequitas: nobis quidem incognita, sed illa certissima.... Deinde praepostere docemus agere ipsos, qui ad quaerendam suae damnationis originem, in recondita divini consilii adyta oculos intendant" (5). Alio loco: »Non enim praedestinationem eo commemorat (S. Scriptura) ut in audaciam erigamur, et inaccessa Dei secreta excutere nefaria temeritate tentemus: sed potius ut humiliati ac dejecti, ad judicium ejus tremere, mi-

(1) *Ep.* CCXIV. *Opp.* T. II. p. 602. G. 603. B. e. l.

(2) *De Praedest. Sanct.* C. VIII. 16. *Opp.* T. X. P. 1. p. 529. E. e. l.

(3) Teste CABASSUTIO, l. l. p. 326.

(4) *Instit.* III. XXIII. 8, ubi loquitur de objectione, »permittente modo non autem volente Deo perire impios."

(5) Ib. 9.

sericordiam suspicere discamus" (1). Disertissime autem rem exprimit his verbis: »Nulla tentatione vel gravius vel periculosius fideles percellit Satan, quam dum ipsos suae electionis dubitatione inquietans, simul prava ejus extra viam inquirendae cupiditate solicitat. Extra viam inquirere voco, ubi in abditos divinae sapientiae recessus perrumpere homuncio conatur, et, quo intelligat quid de se sit constitutum apud Dei tribunal, ad supremam usque aeternitatem penetrare. Tunc enim se in profundum immensae voraginis absorbendum praecipitat: tunc innumeris atque inexplicabilibus laqueis se induit: tunc caecae caliginis abysso se adobruit" (2).

Concilium etiam consulamus *Tridentinum*. Hoc de re habet: »Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum: .... nam nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit" (3)

Quaestionum intricatarum etiam meminit *Formula Concordiae*, quae autem non doctrinam Ecclesiasticam vulgarem continet; nam electionem omnium, universalem, quae fit per Jesum Christum, omnes ad resipiscentiam et vitam aeternam vocantem (4), ac reprobationis causam sitam esse in hominibus ipsis, salutem oblatam rejicientibus (5), statuit. Quaes-

---

(1) Ib. 12. cll. 13. (2) L. l. XXIV. 4.

(3) Sess. VI. Cap. XII. cf. Can. XV, XVI.

(4) *Concordienformel*, Art. II. IV. VI. VII. IX. X. cll. XII. et *Antith.* II. III. e. l. II. 424—427, 429, et *Erklär.* p. 687, 688.

(5) L. l. XI. p. 426, 427. cll. *Erklär.* p. 680, 693 sqq.

tionum autem, facile inde derivandarum, etiam meminit, easque compescendas esse dicit sequendo normam C. S.: »Denn über Das, davon bisher gesaget, so hiervon in Christo offenbaret, hat Gott von diesem Geheimniss noch Viel verschwiegen und verborgen, und allein seiner Weisheit und Erkenntniss vorbehalten, Welches wir nicht erforschen, noch unsern Gedanken hierinnen folgen, schliessen oder grüblen, sondern uns an das geoffenbarte Wort halten sollen..... Denn damit hat unser Fürwitz immer viel mehr Lust sich zu bekümmern, als mit Dem, das Gott uns in seinem Wort davon offenbaret hat, weil wirs nicht zusammen reimen können, Welches uns auch zu thun nicht befohlen ist." Quibus expositis, diserte meminit talium quaestionum, quae ex doctrina ecclesiastica constituta profluunt, nempe Deum tantummodo scire, quinam eorum, qui vocati sunt, credituri sint et non credituri, hujusque rei tempus et horam, quinam eorum, qui conversi sunt, perseveraturi vel non perseveraturi, quinam post lapsum sint redituri vel obdurandi, ac denique horum utrorumque justum numerum, et concludit: »Solches Geheimniss (hat) Gott seiner Weisheit vorbehalten, und uns im Wort darvon nichts offenbaret," sqq. (1). Et alibi: »Was aber in dieser Disputation zu hoch, und aus diesen Schranken laufen will, da sollen wir mit Paulo den Finger auf den Mund legen...... Denn, dass wir in diesem Artikel nicht Alles ausforschen und ausgründen können, noch sollen, bezeuget der hohe Apostel Paulus, welcher, da er von diesem Artikel aus dem offenbareten Wort Gottes Viel disputiret,

(1) L. l. *Erklär.* p. 684, 685

so bald er dahin kömmet, dass er anzeiget, was Gott von diesem Geheimniss seiner verborgenen Weisheit verbehalten, drücket ers nieder, und schneidets abe mit nachfolgenden Worten" loci hac in re tritissimi Rom. XI. 33, 34 (1).

Ex allatis videmur nobis posse concludere: *originem diversitatis*, qua mysterium habitum sit res non intelligenda, etiam quoad Praedestinationem, *sitam esse in doctrina Ecclesiastica*, quippe talia continente, quae humanam intelligentiam fugiant, et quaestionibus ansam dante non solvendis.

§ 44.

Tandem restat, ut videamus, quaenam sit origo, qua Satisfactio existimata sit res non intelligenda. Pauca tantum a nobis hac de re proferri possunt, quandoquidem, ex auctoribus antiquioribus, testimonia tantum ANSELMI diserta hac de re nobis innotuerunt.

Ab omni autem parte, primis temporibus, doctrina de satisfactione in Ecclesia vacillaverat: etenim viguit diu sententia, per Jesum Christum tamquam λύτρον humanum genus liberatum esse e potestate Satanae. Haec sententia vulgaris fere fuit ante aetatem ANSELMI, qui, hanc sententiam non teneri posse ac difficultatibus permagnis premi sentiens, aliam protulit. Non enim potuit non abjicere sententiam, quae, quo magis in ipsam inquireret, eo majores ipsi praeberet difficultates. Etenim et sententia: hominem teneri in potestate Diaboli, et inquisitio: quonam jure homo potestati Diaboli sit

(1) L. l. p. 687.

subjectus (1), ac quomodo Jesus Christus a Deo dari possit huic λύτρον, ut hac ratione liberarentur homines ex ejus potestate, sine dubio nodos non solvendos constituere.

Rejecit igitur merito hanc sententiam ANSELMUS, et ejus loco posuit hanc: hominibus incumbere ut satisfaciant honori Dei, ipsi ab hominibus per peccatum rapto, si veniam poenae, quae ipsis, ut honos restituatur Dei, est luenda, peccatorum cupiant adipiscere: hanc autem satisfactiónem praestare non posse hominem, quippe qui tantummodo ea, quae ipsi injuncta sunt, praestare possit, sed tantum Deum, quem hanc in rem fieri hominem necesse esse, partim quia ab hominibus esset praestanda satisfactio, partim quia hanc in rem pati atque mori eum necesse esset (2).

Hac vero ratione quum proponeretur res, etiam multae oberant difficultates (3), uti ipse sententiae patronus quoque professus est. Quum enim respondisset ad quaestionem: »Quomodo deleat mors eadem etiam peccata eum (Deum Jesum Christum)

---

(1) Cf. ANSELMUS, *cur Deus homo?* L. I. C. 7 ed. Erlangae. 1834. p. 15.

(2) Sententiam hanc expositam videas in ejus l. l.: *Cur Deus homo?* inpr. L. I. C. 19, 20. L. II. C. 6, 11, 18, 19. Hanc doctrinam deinde Ecclesiasticam factam esse videre est ex *Catech. Palat.* Q. 12—19, cll. 37, 40, *Confess. Belg.* XIX—XXI, *Can. Syn. Dordrac.* C. II. Can. I—IV. cf. praeterea *Confess. August.* Art. III, IV, apud SCHÖPFF, l. l. I. 37, 38, *Apol.*, apud eundem p. 342, 345. *Form. Concord.* declarat justitiam nostram consistere in toto Christo, Deo et homine, et obedientia ab ipso inde a nativitate usque ad mortem praestita. V. Art. 3. I. ap. eund. II. p. 377, *Erklär.* p. 513 sq., 517, 521, 531, 533.

(3) Cf. DÖDERLEIN, *Christl. Religions-Unterr.* XI, 201—226.

perimentium," haec de sententia sua universa addit: »Quid jam quaeris amplius? Ecce jam vides, quomodo rationabilis necessitas ostendat, ex hominibus perficiendam esse supernam civitatem, nec hoc posse fieri nisi per remissionem peccatorum, quam homo nullus habere potest nisi per hominem, qui idem ipse sit Deus, atque sua morte homines peccatores Deo reconciliet. Aperte igitur invenimus, Christum, quem Deum et hominem confitemur, esse mortuum propter nos; hoc autem absque omni dubietate cognito, cuncta, quae ipse dicit, certa esse, quoniam Deus mentiri nequit, et sapienter esse facta, quae fecit, dubitandum non est, quamvis eorum ratio non intelligatur a nobis" (1). Si singula spectemus, ex ipsius doctrina facile oriebatur e. g. quaestio, quomodo Deus assumere posset hominem sine peccato, natum tamen ex virgine in iniquitatibus concepta et cum originali peccato nata: ad hanc ita respondet: »Qua vero ratione sapientia Dei hoc fecit, si non possumus intelligere, non debemus mirari, sed cum veneratione tolerare aliquid esse in secretis tantae rei, quod ignoremus." Et mox: »Quis ergo praesumat vel cogitare, quod humanus intellectus valeat penetrare, quam sapienter, quam mirabiliter tam inscrutabile opus factum sit? Boso. Assentior, quia nullus homo potest in hac vita tantum secretum penitus aperire, nec peto, ut facias, quod nullus homo facere potest; sed tantum, quantum potes" (2). Ita vero admonitus, aliquam saltem explicationem exhibet ANSELMUS. Haec sententia porro in causis fuit, ut ANSELMI aequales in diversissimas rursus abie-

(1) In Op. I. L. II. C. 15. p. 123.

(2) L. I. C. 16. p. 125, 126. Est dialogus, quem inter se habent BOSO et ANSELMUS.

rint sententias. Nam a priori cum constitueretur tota quaestio, et ANSELMUS solam urgeret Dei justitiam, negligeret vero Dei amorem, qui vera amor dici possit, in hominibus per Jesum beandis, etiam non potuit non esse arbitraria. Ipsa itidem vox, qua nunc inprimis utebantur, *satisfactio*, fuit omnino arbitraria et nimis philosophice ac sensu forensi sumta.

Sententia igitur utraque, cum illa, homines esse captivos Diaboli, tum haec, iis satisfaciendum esse Deo, probari nullo modo poterat, ita ut et utraque identidem novis inventionibus, definitionibus, descriptionibusque ansam daret, rem non magis lucidam, saepius vero obscuriorem reddentibus.

Confessio Belgica rem hoc modo exprimit (1): »Wij gelooven, dat Jesus Christus ..... heeft zich zelven in onzen name voor zynen Vader gesteld, om zynen toorn te stillen met volle genoegdoening, zich zelven opofferende," volgg. — »Zoo heeft Hy dan betaald, dat Hij niet geroofd had." Hanc rem Art. XXII vocat: »*groote verborgenheid*," i. e. rem non intelligendam; quod de *nexu* non explicando inter Jesu Christi mortem et veniam peccatorum, intelligi debere necesse est. Etenim, quam hic agit *Confessio*, nos esse reconciliatos cum Deo et quidem per mortem Christi, res est de qua nullus est dissensus, quaeque omnibus intelligitur.

Seriore denique aevo MUNTINGHIUS, uti vidimus, eam dixit rem humanâ ratione non intelligendam, dum causa, quare ita dicenda sit, ex ejus quoque sententia, sita est in non explicando, *a priori*, nexu, qui inter Jesu passionem mortemque intercedit ac veniam peccatorum. Nam dicit: »Etsi de *neces-*

(1) Art. XXI.

sitate hujus per passionis mortisque Jesu Christi interventum veniae hominibus parandae modi nihil certi *a priori*, quod ajunt, dici possit," et: »a nobis vero, quamquam plenior hujus rei notitia vitae demum futurae reservata videatur" (1), sqq. Ex ipsius igitur MUNTINGHII sententia hic nexus a priori constitui plane non potest (nec a Jesu ipso perspicue explicatus est (2)), qua de causa in eo origo invenienda est, cur dixerit rem non intelligendam. Eandem et sententiam invenias in opere periodico: *Godgeleerde Bijdragen* (3).

At vero hanc rem, quae a Jesu non esset explicata ex MUNTINGHII sententia, sibi sumebant, ut vidimus, cujusvis aevi homines ab omni parte definire, et quidem saepius a priori, non biblico sed philosophico modo agentes hac in re (4). Et hunc nexum, quem ita definire sibi sumebant, saepissime nimis arbitrarium sibi fingebant, atque ab omni parte mirandum (5). Tropis hac de re biblicis utebantur proprie, et insuper rem proponebant formâ, singulari tantum aetate valente, v. c. *sacrificii*, voce strictissimo sensu sumtâ. Tales sententias, semel prolatas, auctores eorumque sequaces acriter defendebant contra aliter sentientes.

Concludimus ergo: *originem diversitatis*, qua mysterium habitum sit res non intelligenda, quoad Satisfactionem, *sitam esse in hujus expositione, quae ab his illisve Theologis et ab Ecclesia profi-*

(1) Cf. § 33.
(2) Vid. ejus *Gesch. der Menschh.* IX. 143.
(3) VIII. 244 alibi.
(4) *Gesch. d. Menschh.* IX, notarum p. 84.
(5) Cf. V. D. WILLIGEN, *Wesen des Christendoms*, ed. 2dae, p. 272.

ciscebatur, et agens praecipue de nexu inter Jesu mortem et veniam peccatorum, quocumque modo proponeretur, multa relinquebat scrutanda, ac interdum rationi humanae ac Dei naturae contradictoria (1).

Hanc partem ita concludimus: originem ejus rei, qua *μυςήρια* in religione Christiana habebantur *res abscondendae*, sitam esse in eo, quod priorum saeculorum Christiani religionem Christianam acceptam studerent reddere Gentilibus; originem vero ejus rei, qua *μυςήρια* in religione Christiana habebantur *res non intelligendae*, sitam esse in doctrina Ecclesiastica, quippe quae res tali ratione definiverat, quali superesse non possent non arcana multa, non intelligenda, obscura: ut verbo dicamus: originem partim sitam fuisse in hominum ingenio, amante in religione Christianâ *res abscondendas*, partim in hominum ingenio, amante res arcanas, absconditas, *non intelligendas*, easque religioni Christianae obtrudente.

---

(6) Cf. BAUR, *Die Lehre von der Versöhnung*, Tubing. 1838, de nostra re impr. p. 43, 59 sqq., 76, 80 sqq., 86, 87—90, 168—184, et HUIJSERS, *Spec. Exeg. Theol.*, *quo Jesu de morte sua effuta colliguntur*, Gron. 1838, caet., p. 1—4.

PARS QUARTA.

INQUIRITUR, QUODNAM LOCI IN RE DOGMATICA SIT PRETIUM.

§ 45.

Quae hactenus disputavimus, eo rediere, Jesum ejusque Apostolos μυστήρια in religione Christiana habere *res patefactas*, aut patefaciendas: Ecclesiam vero μυστήρια in religione Christiana habere partim *res abscondendas*, partim *res non intelligendas*; discrimen hoc, Jesum Apostolosque inter et hos subsecutam Ecclesiam obtinens, esse repetendum ab hominum ingenio amante in religione, uti Gentili sic Christianâ res abscondendas, et non intelligendas, ac si tales sint magis Divinae. Haec cum pertractaverimus, simul inquisivimus in res singulas, quae ab his illisque μυστήρια sunt dicta.

Quartam denique partem addicere proposuimus inquisitioni, quodnam loci pretium sit in re dogmatica. Hanc disquisitionem necessario requiri, ne plane vel maxime saltem infructuosa sint hactenus disquisita, facile liquere nobis videtur; neque ab

omni parte infructuosam fore talem disquisitionem facile persuasum iri credimus ei, qui cursum hactenus confectum et argumenta pertractata nobiscum respexerit.

Prius autem brevi agenda videtur quaestio, quid nominatim in hac parte nobis sit pertractandum, quam propositum ipsum aggrediamur iter. Antecedentia enim nos docuerunt, non tantum adfuisse discrimen Jesum Apostolosque inter et hos subsecutam Ecclesiam, quoad ipsam de μυστηρίοις notionem, sed et non minus quoad res, quas μυστήρια dixerint. Adfuit autem justa causa, qua moti identidem inquireremus in res, quas hi illive dixerint μυστήρια, nempe haec, quod hac tandem ratione nobis constare de eo potuerit, num revera sint μυστήρια *in religione Christiana.* Hanc ob rem disquisitionem illam necessariam duximus, quam tamen missam facere possumus hac in parte, in qua nobis tantummodo est inquirendum, cujusnam sit pretii in re dogmaticâ, μυστήρια a Jesu Apostolisque habita esse res patefactas aut patefaciendas, in Ecclesia res abscondendas aut non intelligendas, hujusque discriminis causam sitam fuisse in ingenio sociorum Ecclesiae Christianae, ab ingenio Jesu et Apostolorum satis diverso.

§ 46.

Dogmaticam Christianam quamcunque praecedat necesse est disquisitio de fonte, ex quo sit petenda. Hi petendam eam censent e Codice Sacro, illi e Novo Foedere, alii rursus ex ipso Jesu Christo; quod discrimen nostrûm non est, hîc dijudicare. Id autem affirmare licet, eam saltem non esse Dogmaticam vere Christianam, quae ex alio quodam fonte, quam

ex horum trium uno sit hausta. Inquirentibus autem primo loco, ex quonam fonte mysteria ea, quae ab Ecclesia recepta vidimus, sint ducta, nobis facile liquet, ex nullo istorum trium fontium, adeoque ex perverso, ea esse petita.

Vidimus enim, Ecclesiam Christianam primaevam solitam esse ritus sacros quosdam et doctrinae Christianae partes has illas habere mysteria sive res abscondendas. Vidimus autem insuper, hoc non ideo ab ea esse factum, quod talis agendi ratio putaretur niti effatis Codicis Sacri, aut convenire menti Jesu Christi ejusque Apostolorum; sed unice hanc ob causam, quod maxime id videretur inservire promovendae saluti Ecclesiae Christianae.

Rationibus magis justis non actum esse in Ecclesia Christiana, adeoque e fonte magis puro non haustum esse, quum deinde dogmata haec vel illa eorumve partem hanc illamve putarent Christiani res non intelligendas, abunde nobis antea disputata ostendisse videntur. Partim enim doctrinae Ecclesiasticae capita, nisi obtrusissent ea Codici Sacro, vix ac ne vix quidem ex eo eruissent, quod v. c. fiebat in dogmate, uti proponebatur, Trinitatis et Praedestinationis; partim proprio saepe marte ac ratione philosophicâ constituebant v. c. theoriam Satisfactionis Anselmianam; partim nitebantur male intellectis Codicis Sacri verbis, quod v. c. locum habuit in dogmate Transsubstantiationis, nitente quippe Jesu dicto tropico, literali sensu sumto ac nulla habita Hermeneutices sanae ratione. Quam primum vero illis, quae ex C. S. verbis putabantur erui, alia, contrarium plane urgentia, loca opponebantur, — aut caeteris Christianis sese opponerent homines alii saniore ratione ducti, rem ita illi defendere cona-

bantur, ut dicerent, hanc esse mysterium, ideoque non posse intelligi. At vel sic tamen abunde liquet, hanc agendi rationem minime defendi posse effatis Codicis Sacri, neque Jesu Apostolorumque congruere menti: nam qualia hac ratione in religione Christianâ mysteria praedicabantur, talia neque Jesus neque ejus Apostoli noverant, horumque nullam fecerant mentionem.

Ni igitur egregie fallimur, disquisitio antea instituta verissime nobis ob oculos ponit, variis Ecclesiae temporibus neglectum esse fontem Dogmatices, quisquis tandem is esse putetur. Nam sive putetur fons esse Codex Sacer totus, sive praecipue Novum Foedus, sive denique ipse Jesus Christus, hos omnes negligebant fontes, neque ex horum ullo sua petebant, imo eos postponebant hominum horum illorumve conciliorumque inventionibus ac definitionibus; verbo, Jesu, qui se mundi dixerat lucem, plane contrarii, religionem Christianam habebant doctrinam, quia Divinitus datam, ideo plenam tenebris sive mysteriis in alterâ demum vitâ revelandis. Humanae sapientiae, eheu! dolendum exemplar!

§ 47.

Secundo loco inquirendum esse putamus, num locus, quem tractavimus, alicujus sit momenti quoad argumentum Dogmatices Christianae universe spectatum.

Hac vero in causa etiam maximopere Ecclesiae Christianae socii recesserunt a Jesu ejusque Apostolorum mente. Hi enim mysterium appellabant Jesu Christi vitam, missionem, personam, apparitionem omnem, qua Deus patefieret hominibus, et adeo mysteria aut jam patefacta habebant aut deinde in terris hisce patefacienda: posteriore autem tempore

illi doctrinam de modo, quo Deus consulere vellet ac consuleret generi humano, seu potius hunc modum ipsum, mysterium esse putarunt, et quidem ideo, quia res aut esset abscondenda, aut non intelligenda.

Recta igitur hujus loci expositio eo nos ducit, ut, praecipue ipsum Jesum Christum sequentes praetereaque ipsius Apostolos, in re Christiana habeamus mysteria, quae ex horum mente ad eam religionem pertinent. Hac de re non putamus in religione Christiana mysteria esse ritus sacros, atque doctrinam de his: etenim haec ex aevi istius tantum genio, quo habebantur mysteria, repetenda sunt, ideoque et non evanescere non potuerunt, quippe non in ipsius rei Christianae indole ac natura fundata. At praeterea non putamus esse mysteria in religione Christiana Trinitatem, nec Incarnationem, nec Transsubstantiationem, nec Praedestinationem, nec Satisfactionem, qualia constituerunt haec placita Synodi et Theologi. Haec enim dogmata, quae originem suam debent aevi hujus illiusve genio, quod v. c. facile liquet locum habere in Transsubstantiationis placito, ad mysteria referre non possumus e sententia Jesu et Apostolorum: quare haec mysteria ad religionem Christianam non pertinere dicenda sunt, sed ad Theologiam Christianorum nonnullorum (1).

At porro, quod ad notionem mysteriorum attinet, in religione Christiana mysteria habemus res a Jesu Christo clarissime patefactas aut certo patefaciendas; neque ergo ea habemus res aut quoad materiam aut

(1) Inquisitionem igitur, num res hisce doctrinis expositae vere sint mysteria i. e. res non intelligendae, an non, pensi nostri non esse, sponte perspicitur.

quoad formam abscondendas; neque res non intelligendas ac humanae rationi non pervestigandas, vel solam ob hanc causam, quod non adsint tales ex sententia Jesu et Apostolorum, sed modo ex aevi hujus istiusve opinione, adeoque non obtrudendae Dogmaticae Christianae.

Hac vero ratione si procedas, sponte in oculos tibi incurrit, in Dogmatica Christiana sic esse agendum de mysteriis in religione Christiana, ut inquiras, quaenam sint mysteria ex mente Jesu ejusque Apostolorum, tum quoad ipsam vocis mysterii notionem, tum quoad res ea voce significatas.

At vel sic tamen minime illicitum esse censemus Christianis, rem hanc illamve, etiamsi non a Jesu ejusque Apostolis sit dicta mysterium, hac voce appellare. Hisce enim licet res in religione Christiana antea absconditas, quae jam re et facto adsint, aut hactenus absconditas, quae deinde certo sint adfuturae, appellare *mysteria;* at iis non licet *mysterium* usurpare de rebus abscondendis aut non intelligendis, quippe quae appellatio vocabulorum usum, quem Magister unus ejusque Discipuli primarii sanxerunt, prorsus evertit.

Argumentum porro Dogmatices universe si spectes, putandus est locus de mysteriis rite tractatus hoc pretium afferre, quod verissime ob oculos ponat damna, quae Theologiae Christianae sint nata et non possint non nasci ex ea agendi ratione, quam in Ecclesia Christiana vidimus regnasse. Summa nempe ope quum omnes cujuscunque doctrinae cultores niti decet, ut continuo magis ad veritatem accedant, hoc quoque consilium sibi proponant necesse est quicunque Theologiae Christianae exponendae sese addicunt. At consilium hoc attingere nequeunt, si mysterii no-

tione, quae in Ecclesia regnavit, perversâ imbuti et vocem audientes: »Hoc est mysterium magnum, haec non sunt perscrutanda, sed fide veneranda," huic obsequium praebent. Cohibitâ enim liberâ inquisitione, cohibetur simul omnis progressio, et exsistit Theologia semper eadem, qualis dicitur hodie stabilis. Ergo tali voce audienda eo homines ducuntur, quo ducti sunt Romano-Catholici, qui hodie adhuc ipsum corpus Domini manducare ejusque sanguinem bibere sibi videntur, quia ante decem fere saecula PASCHASIO RADBERTO res ita est visa et Ecclesiae aetatis illius barbarae barbara placuit haec opinio, quam utpote mysterium sanctum nunc relinquere non audent hi homines, qui illicitum putant vel tantillum mutare eorum, quae ante saecula quaedam constituerint Patres et Concilia. Exempla nobis sint plures Theologiae Christianae expositiones serioris temporis, quae, in singulis quidem satis diversae, in hoc saepissime conveniunt, quod exponant et tradant Theologiam Christianam, quae ex doctrina Biblica et doctrina Ecclesiastica est composita, hujusque placita non raro absurda sanctâ mysteriorum voce appositâ defendere posse sibi videtur. Quod agens Theologia ista mulierculis quidem placere potest, semper, ut cum Apostolo loquar (1), discentibus, sed nunquam ad veri cognitionem pervenientibus; at vehementer displicet feminis virisque, vero cognoscendo et intentis et idoneis.

Quodsi Apostolos et Servatorem ipsum sequimur, major subinde lux afferetur Dogmaticae Christianae. Hujus enim argumento illustrato, hanc et ipsam illustrari quam maxime, quisque videt. Jam vero hoc argumen-

(1) 2 Tim. III: 7.

tum revera ex antecedentibus illustrari sponte patet; nam inquisitio in Jesu ejusque Apostolorum sententiam certiores nos reddidit, patefactionem Christianam, sive objectum Dogmatices Christianae magnificum, non continere mysteria, id est, res non intelligendas, neque his contineri. Quae nondum aderant in religione Christiana re factoque, haec ex ipsorum mente erant hactenus mysteria, non vero mysteria erant res hae illaeve non intelligendae. Posteriora autem tempora aliam hac de re foverunt opinionem, et quidem hanc: argumenta patefactionis Christianae praecipua esse mysteria, dogmata abstrusa, non intelligenda, quae quidem erant mysteria patefacta, sive res, quae tanquam certae erant patefactae, sed quorum natura et indoles fide erant reverendae, non item ratione intelligendae. At patefactio Christiana quum jam appareat constare iis, quae antea nondum re et facto aderant, et hactenus mysteria sint quae nondum re factoque adsint, verum sint patefacienda, jam in dies magis perspicua fit ac clara. Nam jure merito Christianos augurari licet, ea quae hactenus sunt abscondita, et nondum adsint, non vero sint ignota, haec olim plena luce esse affutura et clare conspicienda. Patefactio, vero, cujus argumenta praecipua sunt res non intelligendae, aut quae solummodo continetur hisce, dici non potest, quo tandem aevo humana ratione capienda sit: imo ex coryphaeorum opinione hujus pervestigandae numquam humanum ingenium his in terris capax erit; sed ad ea revelanda requiritur altera vita. Sequitur vero ex illustrata patefactione Christiana, hominem Christianum lubenter summa ope niti oportere, ut excelsum illud Dei opus, res illas patefactas aut patefaciendas, relatione habita humani

generis salutisque huic allatae, neque minus temporum antecedentium, quibus nondum essent patefactae sed desideratae, aut temporis futuri, quo re et facto affuturae sint, contempletur ac perspiciat continuo planius. Easdem vero res non possit non aversari, si hasce investigare ipsi non liceat earundemque pervestigatio Satanae opus declaretur; neque enim acquiescit lubenter ac facile humana ratio, semper intelligere res cupiens, in placitis, quae fide tantum ipsi accipere licet, quia, disquisitione instituta, rationi probabilia reddi nequeunt. Igitur nobis liquet, locum hujus pretii esse in re dogmaticâ, quod majorem lucem appareat affundere patefactioni Christianae, et hanc, orta luce majore, magis commendare hominum animis ac mentibus.

Porro et argumento Dogmatices universe spectato pretium affert locus tractatus aliquod, ratione nempe habitâ aliarum disciplinarum Theologicarum. Quae enim in caeteris disciplinis Theologicis exponuntur conjungit, saltem conjungere conatur Dogmatica. Amicissime igitur conspirat Theologia dogmatica cum Exegesi N. F., si mysteria in religione Christiana habeat res patefactas aut patefaciendas, ac rite utitur Historiâ Ecclesiae, docente appellationem *mysteriorum* de rebus non intelligendis usitatam, Theologiae systematibus plerisque propriam, originem sumsisse ex doctrinâ Ecclesiasticâ. Alioquin revera Theologiae dogmaticae pugna exsistit Exegesin inter et Historiam Ecclesiae, illam mysteria habentem res patefactas aut patefaciendas, hanc non intelligendas.

Denique si consideretur argumentum Dogmatices universe, ratione habita aliarum disciplinarum, etiam illustrari et commendari ejus argumentum ex loco tractato dicendum est. Ex omnibus nempe dis-

ciplinis ut patefactioni Christianae lux affunditur, sic has mutuo luce sua donat patefactio; omnia enim quae sunt, unius Dei sunt opera, quae inter se pugnare nequeunt. Nominatim hîc afferimus Historiam humanitatis, Physiologiam, Psychologiam, Physicam, Metaphysicam, quae maximopere patefactionem in Christo datam illustrant. Hae autem doctrinae continuo magis excoluntur, harumque cultores in dies de rerum caussis finibusque, de hominis natura ac indole tam corporali quam spirituali fiunt certiores. Quo enixius et accuratius hac in re procedunt, studiumque disciplinae, cui operam impendunt maximam, conjungunt cum disciplinis aliis, eo magis omnia quae agunt ipsis fiunt clara, eoque luculentius sese ostendit magnificum amoris ac sapientiae divinae in omnibus rebus theatrum. Hae igitur disciplinae continuo magis argumenta sua illustrantes, non possunt non pugnare cum Dogmatica Christiana eâ, quae patefactionis Christianae argumenta gravissima res non intelligendas esse perhibet. Hae nempe res non amplius possunt illustrari, neque temporis progressu, neque luce accipiendâ a disciplinis caeteris: namque humanum ingenium plane impar habetur iis intelligendis. Disciplinae igitur res similes exponentes, quarum haec continuâ gaudet progressione, illa stabilis manet, non possunt sibi auxilium praestare ac lucem affundere. Dogmatica vero Christiana patefactionem non habens constantem rebus non intelligendis adeoque non eo, quod sit stabilis, impedita, facillime disciplinis omnibus uti potest fontibus, ut ita dicamus, secundariis. Verbo, argumentum Dogmatices magis illustrari ac commendari potest, si, Jesu et Apostolis obsecuta, amicissime conspirat cum caeteris disciplinis.

§ 48.

Quae hactenus diximus, universe sufficere possint ad nostram solvendam quaestionem. Etenim quae de loci pretio observavimus in re dogmatica, si hujus argumentum universe spectas, ansam etiam praebere possunt statuendi de pretio quoad singulas dogmatices partes. Hac de causa non necesse esse videtur singulas hujus partes omnes percurrere, ne identidem repetantur hic illic indicata: sed quaedam adhuc addere lubet de loci pretio, quoad dogmatices partem gravissimam ac praecipuam, nempe Christologiam.

Nempe ad Christum hujusque consilium rite aestimandum, locum magni pretii esse non est quod dubitemus. Christiani enim fere in hoc consentiunt, ipsum esse, qui novam exhibuerit patefactionem, ac hac ratione patefactionem universalem adimpleverit ac plenius exposuerit. Dissentiunt vero gravissime Christiani in modo, quo hanc patefactionem sibi cogitent. Sunt enim, quos loquendi usum Jesu et Apostolorum tenere delectet, quales sunt v. c. Patres Ecclesiae antiqui; sunt alii, qui, caussis his illis ducti, hujus patefactionis argumenta gravissima esse res non intelligendas, sive his contineri patefactionem ejusque criteria profitentur, quod in antecedentibus aperte vidimus (1): — paucissimi sane

---

(1) Addi possunt h. l. testimonia duo serioris aetatis; J. H. VAN DER PALM rogat, *Vierde Tiental Leerred.* 1826. bl. 113, 114: »Zou niet het onbegrijpelijke dezer verborgenheid zelve ons tot een waarborg harer Goddelijkheid kunnen verstrekken?" — atque putat H. E. SCHMIEDER, *Evangel. Lehrbuch.* III. S. 13. Leipz. 1838: »Der Kern göttlicher Offenbarung muss in Geheimnissen bestehen, in Mittheilungen, deren volles Verständniss und voller Genuss nur den Gottgeweihten zugänglich ist."

in Ecclesia Christiana fuerant, qui patefactionem eo constare affirmarent, quod adessent quae antea desiderarentur, eamque cum historia anteriore, praesertim Judaicâ, conjungerent ita, ut putarent, haec quae essent facta, esse complementum eorum quae antea essent praedicta ac cognita. Negari vero non potest tales dissensiones aestimationi Jesu Christi universe proficuas esse non potuisse: etenim quisque fere sententiam suam acriter tenebat, et defendebat, summaque nitebatur ope, ut huic auctoritatem in Ecclesia adhiberet vel hanc in Ecclesia publicam redderet, putans quippe ab hac pendere quam maxime Ecclesiae salutem. Hinc sponte factum, ut recta Jesu Christi aestimatio, ex ejus opere, consilio, persona oriunda valde negligeretur. Antecedentia enim nobis ostenderunt, tam parvi habitam esse Christi ipsius sententiam ut prorsus obliviscerentur homines, patefactionem constare eo quod adessent re et facto ea quae antea nondum adessent; imo ita homines se sententiis suis, quoquo modo compositis, obstringi esse passos, ut, quoad partem Theologiae dogmaticam prorsus recederent a Jesu mente, statuendo in re Christiana res quasdam praecipuas esse non intelligendas, mysteria, — in parte Theologiae exegeticâ hic illic prorsus aliam proponerent sententiam, quam quae a Jesu et Apostolis liquido erat explicita. Hac ratione vera et genuina *mysteriorum* notio evanuit, evanuit et simul vera et genuina notio *patefactionis*; — sententia Jesu ac Apostolorum, quae primo saltem erat respicienda, Jesum Christum in mundum venisse, ut apparitione suâ res antea latentes *patefaceret*, et adhuc latentes deinde *patefaceret*, locum cessit opinioni Ecclesiasticae, Deum

per Jesum Christum generi humano patefecisse id est significasse et credenda injunxisse *mysteria*, res non intelligendas. Conjunctio apparitionis Jesu Christi cum totius mundi antiqui historiâ ac Dei humani generis institutione ut plane negligeretur, necesse erat, imo ab hac tota fere separaretur: quae conjunctio rite observatur, ex nostra mente, si patefactio Christiana non rebus non intelligendis, sed rebus patefactis ac deinde patefaciendis constare habeatur. Facile igitur quae h. l. indicavimus, nobis ostendere videntur, quanti locus noster momenti sit in Christologia: nam servatà germana de rebus Christianis Jesu Apostolorumque sententia, non potest non et inde major lux affundi Jesu personae, operi, consilio, atque majoris aestimari ac commendari hoc opus, hoc consilium, ac haec persona.

Nimis longi fiamus, et patienti lectori laborem creemus, si quae hactenus ostendimus, per omnes dogmatices persequi velimus partes. Etenim disputatio omnis eodem identidem redeat, et repetatur ergo, quod satis superque jam expositum esse confidimus. Singula igitur loca, quibus locus noster pretium affert, percurrere facile potest, cui hactenus exposita ulterius persequi animus est.

§ 49.

Respondendum autem est adhuc quaestioni facile movendae, quanam ratione agere nos de mysteriis oporteat in re dogmatica, antea dicta si spectemus? Respondemus, ex nostra sententia in re dogmatica duplici modo agi posse de mysteriis in religione Christiana. Institui enim potest inquisitio, quid ex Jesu

et Apostolorum mente sint *μυστήρια* in religione Christiana, eaque locum occupare disputationis, in pluribus Dogmaticae Christianae systematibus inveniundae, probandum sibi sumentis, mysteria esse res non intelligendas. At res et hac ratione agi potest, ut inquirentes in singulas res in religione Christiana obvias simul inquiramus, quali ratione contemplati sint Jesus ejusque Apostoli has res, ac quomodo earum contemplatio cum rerum ipsarum indole conveniat. Utra harum rationum melior sit ideoque eligenda, definiri vix potest, cum hoc plane a cujuscunque auctoris personâ et scribendi consilio ac ratione pendere dicendum sit. — Negligatur vero nequaquam expositio contemplandi rationis Ecclesiae hoc illove tempore usitatae. Quo modo enim historia mundi ante-Christiani tota conjungenda est cum re Christiana, eodem et quaevis rem Christianam ejusve partem contemplandi ratio, quae Ecclesiae valde placuit, semper in dogmatica Christianâ respicienda est eo fine, ut vera recipiantur aut teneantur, prava rejiciantur. — Verbo: restituenda est in Dogmatica Christiana germana Jesu Apostolorumque de *μυστηρίοις* sentiendi ratio.

Ne objiciat vero quis, hanc sentiendi rationem ab Ecclesiae Christianae usu prorsus esse alienam! In partis nempe secundae initio verbo indicavimus, non vigere desiisse in Ecclesia germanam Jesu Apostolorumque sententiam: hujusque loci esse videtur, id pluribus ostendere, ut satis liqueat, auctoritate etiam Ecclesiastica nos uti posse, qua nixi ad germanam illam sententiam recedamus.

A primis inde incipientes inquirere temporibus, offendimus e Patribus Apostolicis IGNATIUM, qui ad mysteria refert virginitatem Mariae, ejusque partum,

et mortem Domini, quippe quae res antea latuissent, absconditae essent: quas vero apparitione Jesu Christi in terris patefactas esse perhibet(1).

Etiam hanc contemplandi rationem viguisse apud Patres Ecclesiasticos, verbis citandis Auctoris incerti, qui praeclaram illam *ad Diognetum* scripsit Epistolam, ostendere conabimur. Hic enim effatur: eos, qui a Jesu Christo fideles essent habiti, cognosse Patris mysteria, cujus gratia hic miserat *λόγον*, ut mundo patefierent. Hic vero *λόγος*, qui a populo esset rejectus, a discipulis annuntiatus, cui fidem habuere gentiles, in sanctis magis magisque gratiam vivere facit, illustrantem mentem, patefacientem mysteria (2).

---

(1) *Ep. ad Eph.*, in *Patrum App. Opp.* T. II. p. 16, ed. COTELERII, ed. HEFELE, p. 84, 85: *Καὶ ἔλαθεν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας καὶ ὁ τοκετὸς αὐτῆς, ὁμοίως καὶ ὁ θάνατος τοῦ κυρίου· τρία μυςήρια κραυγῆς, ——— Πῶς οὖν ἐφανερώθη τοῖς αἰῶσιν; Ἀςὴρ ἐν οὐρανῷ ἔλαμψεν ὑπὲρ πάντας τοὺς ἀςέρας, καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ ἀνεκλάλητον ἦν, καὶ ξενισμὸν παρεῖχεν ἡ καινότης αὐτοῦ. Τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἄςρα, ἅμα ἡλίῳ καὶ σελήνῃ, χορὸς ἐγένετο τῷ ἀςέρι· αὐτὸς δὲ ἦν ὑπερβάλλων τὸ φῶς αὐτοῦ ὑπὲρ πάντα. Ταραχή τε ἦν, πόθεν ἡ καινότης ἡ ἀνόμοιος αὐτοῖς· ὅθεν ἐλύετο πᾶσα μαγεία, καὶ πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας, ἄγνοια καθῃρεῖτο, παλαιὰ βασιλεία διεφθείρετο, θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς. Ἀρχὴν δὲ ἐλάμβανεν τὸ παρὰ θεῷ ἀπηρτισμένον*, caet. cf. *Ep. ad Trall.*, COTEL. II. 61. HEFELE, 92, 93.

(2) *Ep. ad Diognetum*, inter opera JUSTINI Martyris p. 239. E. ed. Bened.: *Οὐ ξένα ὁμιλῶ, οὐδὲ παραλόγως ζητῶ· ἀλλὰ ἀποςόλων γενόμενος μαθητὴς, γίνομαι διδάσκαλος ἐθνῶν. τὰ παραδοθέντα ἀξίοις ὑπηρετῶ γινομένοις ἀληθείας μαθηταῖς· τίς γὰρ ὀρθῶς διδαχθεὶς, καὶ λόγῳ προσφιλεῖ γεννηθεὶς, οὐκ ἐπιζητεῖ σαφῶς μαθεῖν τὰ διὰ λόγου δειχθέντα φανερῶς μαθηταῖς, οἷς ἐφανέρωσεν ὁ λόγος φανεὶς,*

Eandem et sententiam fuisse CLEMENTIS ALEXANDRINI ex eo conjicere licet, quod hic, loquens de cognitione, quae non nisi revelatione locum habeat, continuo haec adstruit verbis Apostoli Pauli, quibus hic mysterium idque patefactum exponit (1).

Haud obscure hanc sententiam etiam profert LACTANTIUS, qui ita rem exponit. » Inprimis igitur scire oportet homines sic a principio praecessisse dispositionem summi Dei, ut esset necesse appropinquante seculi termino Dei Filium descendere in terram: ut constitueret Deo templum, doceretque justitiam. Veruntamen non in virtute angeli, aut potestate coelesti, sed in figura hominis, et conditione mortali: ut cum magisterio functus fuisset, traderetur in manus impiorum, mortemque susciperet: ut ea quoque per virtutem domita resurgeret, et homini, quem induerat, quem gerebat, et spem vincendae mortis afferret, et ad praemia immortalitatis admitteret. Hanc ergo dispositionem nequis ignoret, docebimus

---

παῤῥησίᾳ λαλῶν, ὑπὸ ἀπίςων μὴ νοούμενος, μαθηταῖς δὲ διηγούμενος; οἱ πιστοὶ λογισθέντες ὑπ' αὐτοῦ ἔγνωσαν πατρὸς μυςήρια, οὗ χάριν ἀπέςειλε λόγον, ἵνα κόσμῳ φανῇ· ὃς, ὑπὸ λαοῦ ἀτιμασθεὶς, διὰ ἀποςόλων κηρυχθεὶς, ὑπὸ ἐθνῶν ἐπιςεύθη· οὗτος ὁ ἀπ' ἀρχῆς, ὁ καινὸς φανεὶς, καὶ ..... εὑρεθεὶς, καὶ πάντοθε νέος ἐν ἁγίων καρδίαις γεννώμενος· οὗτος ὁ ἀεὶ, σήμερον υἱὸς λογισθείς· δι' οὗ πλουτίζεται ἡ ἐκκλησία, καὶ χάρις ἁπλουμένη ἐν ἁγίοις πληθύνεται, παρέχουσα νοῦν, φανεροῦσα μυςήρια. — Verisimile videtur, ipsum h. l. ob oculos habuisse Pauli verba, 1 Tim. III. 16: constat, ipsum h. l. Jesu apparitione *πατρὸς μυςήρια* patefacta habuisse. cf. *Dial. cum Tryphone Judaeo.* p. 140, B. e. l., in quo eadem fere sententia invenitur JUSTINI.

(1) *Strom.* V. p. 576. C. E. 577. A. ed. HEYNSII et SYLBURGII, cll. *Strom.* VII. p. 701 C. e. l., quae loca non addimus, quia caeteroquin nil novi proferunt, orationemque nostram justo longiorem reddunt.

praedicta esse omnia, quae in Christo videmus completa.... Nunc a principio totius sacramenti origo narranda est" (1). Hoc postquam fusius exposuerat, »iccirco" ait, »missus est a Deo patre, ut universis gentibus, quae sub coelo sunt, singularis, et veri Dei sanctum mysterium revelaret ablatum perfido populo, qui adversus Deum saepe deliquit" (2). Haec et illustrantur alio loco, quo mysterium re et facto, morte Jesu Christi, revelatum dicit: »Discipulis iterum congregatis scripturae sanctae literas, id est prophetarum arcana patefecit: quae ante quam pateretur, perspici nullo modo poterant: quia ipsum, passionemque ejus annuntiabant. Iccirco Moyses, et iidem ipsi prophetae legem, quae Judaeis data erat, testamentum vocant: quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari testamentum potest, nec sciri, quid in eo scriptum sit: quia clausum, et obsignatum est. Itaque nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentum, id est revelari, et intelligi mysterium Dei non potuisset" (3).

Alios porro si consulimus, horum AMBROSIUS similem fere sententiam profitetur: namque hic ad Col. I. 26 verba: *nunc vero* sqq. adnotat: »Mysterium quod latuit a seculis, modo revelatum esse asserit, i. e. tempore Apostolorum ostensum." — Disertissime hoc etiam alio exprimit loco (4), dicens: »Quamvis tam acerbo natura humana vulnere sauciata sit, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio spontanea plene valeat erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit, quam inscrutabili judicio Deus justus

---

(1) *Div. Instit.* IV. C. X. p. 155. ed. Basil. 1521.

(2) Ib. C. XII. p. 159. cf. C. XV in fin. p. 168.

(3) *L. l.* C. XX. p. 176, 177.

(4) *De vocatione gentium*, L. II. C. VI, VII. ed. Par. 1549. p. 261, C, D.

et bonus non ita praeteritis seculis quemadmodum in novissimis diebus effudit. Unde et beatus Apostolus Paulus scribens Colossensibus ait: »Mysterium quod absconditum fuit a seculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus in nobis." (C. I. 26.) Nunquid hoc mysterium etiam prophetis incognitum fuit? et illi per quos Spiritus Sanctus loquebatur, ea quorum ab ipsis fiebant denunciationes, nesciebant? Non ita plane intelligendum puto, sed ipsis gentibus absconditum fuisse mysterium, quod dominus quando voluit, et quibus voluit, revelavit."

Seniore aetate hanc sententiam quoque tenuit BERNARDUS CLARAEVALLENSIS, qui scribit: »Asserit.... ille...., omnes antiquos Justos quotquot videlicet Christi adventum praecesserunt, tantam omnino habuisse praescientiam futurorum, quantam nos, qui post sumus, praeteritorum scientiam.... verbi gratia, Verbum incarnatum, partum virginalem, doctrinam salvatoris, miracula, crucem, mortem, sepulturam, descensum ad inferos, resurrectionem, et ad coelos escensionem, sic omnino omnibus illorum temporum Justis, et aperte omnia, et distincte singula fuisse praecognita, quemadmodum sunt tempore post exhibita, et modo cognita nobis" (1). Quae hic enumerat, mysterium esse putat, etenim mox, observans Deum hac ratione aut nimis parcum, si ad nonnullos hoc donum referatur, praedicari, aut, »si et illa tempora multitudinem salvandorum etiam praeter istos habuisse non diffitetur, magnam, sed inau-

(1) *Tractat. de Baptismo.* C. III. 10, *Opp.* T. I. p. 636 e. l.

ditam divini muneris largitatem veteri populo collatam asserit" addit: »siquidem omnem illam multitudinem omnia, quae de mysterio nostrae redemptionis superius enumerata sunt, liquido praecognovisse constiterit" (1).

In sequentibus explicat idem, quali ratione hoc mysterium sive haec mysteria (nam ex conferendis locis liquet, commutari numeros a BERNARDO) sibi cogitaverit, nempe haec ante Christi adventum nondum revelata putat, at vero jam a Justis penetrata atque his cognita: »Quodsi" inquit »videtur tolerabilius, imo et Deo dignius judicatur, replesse potius et ditasse saecula illa multitudine perfectorum, quam salvandorum tanta fuisse paucitate contentum, quatenus et salvi non pauci tunc fierent, et omnes nihilominus repleti spiritu prophetico, necdum revelata mysteria jam tunc penetrarent: si, inquam, hoc recipitur, ... quid tempori gratiae reservatum sit, non videmus ...... Frustra, inquam, gloriatur de Evangelio suo (Paulus), quia non ab homine, neque per hominem illud acceperit, sed quasi speciali quadam praerogativa per revelationem Jesu-Christi: cum et ante ipsum per Spiritum-Sanctum fuerit etiam populis revelatum" (2).

In nostram rem porro allegamus nostratem, doctrinae famâ inclytissimum, WESSELUM GANSFORTIUM: etenim hic (3), allegato 1 Cor. II. 4, 5, dicit: »Apostolus duplicem ergo quandam secernit sapientiam: alteram, quam ipse loquitur inter perfectos, sapientiam non hujus seculi, sed neque principum

---

(1) *L. l.* II, p. 636, 637.

(2) *L. l.* 12. p. 637.

(3) In ejus tractatu: *de magnitudine passionis*, C. XXXII. p. 517 s. l.

hujus seculi, qui destruuntur. Et haec est Dei sapientia in mysterio abscondita, in exemplari monstrata. Idem enim exemplar summae charitatis in monte monstratum, et mysterium verae sapientiae praedestinatae fidelibus in gloriam, quam non solum hic mundus cognoscere non potest, sed neque hujus mundi principes...... cognoscere non possunt. Et probat hoc *Apostolus* per actum contrarium, qui cum illa vera mystica sapientia stare non potest, inquiens; *si cognovissent istam in mysterio absconditam sapientiam, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Quid hoc dictu, *si cognovissent*, nisi si Daemones illam sapientiam pietatis didicissent ab exemplari, hoc est, a Christo in summo charitatis culmine passo mortem crucis, et in illa passione docente veram sapientiam Dei....?" H. l. igitur G. videtur indicare, personâ et apparitione Jesu Christi, exemplari quippe sapientiae et charitatis proposito, patefactum esse mysterium.

Rationem, qua N. F. auctores vocem *μυστήριον* adhibuerunt, secuta quoque est Synodus Dordracena, de hominum cum Deo reconciliatione, Cap. III et IV Can. 7, dicens: »Hoc voluntatis suae mysterium Deus in Veteri Testamento paucioribus patefecit; in Novo Testamento pluribus.... manifestat."

Denique non afferre non possumus locum, qui, ex nostra sententia, exponit ratione ad Jesu ejusque Apostolorum mentem exactissime composita, adeoque, — venia sit verbo, — Christianissima, tam argumentum quam notionem mysteriorum: sc. *Catechesis Palatina*, in responso ad q. 31 affirmat, Christum esse eum, »die ons den verborgenen raad en wille Gods, van onze verlossing volkomen geopenbaard heeft."

Occurrendum adhuc est objectioni, quae possit moveri, ex locis allatis nondum certo certius derivari posse, mysteria ab omnibus his viris habita esse *re et facto* patefacta. Hoc perhibentibus litem intendere nolumus, at observamus, necesse esse ut concedatur saltem, ex horum virorum mente mysteria esse revelatas res, quavis sit ratione, minime vero res non intelligendas.

ΤΩΙ ΘΕΩΙ ΧΑΡΙϹ.

ADDENDA ET EMENDANDA.

P. 4. r. 18. desierant,	legatur:	desierant: quod jam observavit HESYCHIUS, explicans vocem *μύσται*, *μυστήρια εἰδότες*, et *μύστης*, *τὰ μυστήρια μαθὼν*, *μεμυημένος*.
P. 5. r. 25. THEODORETO,	»	THEODOTIONE.
P. 13. r. 26. vs. 17.	»	vss. 16, 17.
P. 14. r. 4,6. vs. 17.	»	vss. 16, 17.
P. 22. n. (3). Gal. I. 18.	»	Gal. I. 8, 9.
P. 25. n. (2). *εἰς ὑπακοὴν*	»	*εἰς τὴν ὑπακοήν*.
P. 57. r. 9. autem	»	enim.
P. 60. n. (1). Joh. XVII: 4.	»	Joh. XVII: 5.
P. 60. n. (2). IV. 3, 5, 6, 11.	»	VI. 3, 5, 6, 11.
P. 65. r. 20. vs. 19.	»	II. 19.
P. 80. r. 18. loco	»	loca.
P. 90. r. 31. Missam sqq.	»	Alibi »sanctissimi hujus sacrificii (Missae) mysterium aliquod" declarare Pastoribus mandat.

P. 124 cum jam typis exscripta fuit, animadvertimus, nos perperam RUFINUM *Aquilejensem* habuisse auctorem *Libri de fide:* saltem nonnullos, inter quos V. C. J. FONTANINUS, *Hist. Lit. Aquilej.* L. V. C. XVIII. 3—5, p. 412—416, Romae, 1742, et SCHRÖCKH, *Christ. K. Gesch.*, X. ed. 2dae, p. 129, 130, eum librum RUFINO A. abjudicare, ejusque auctorem PELAGIUM aut RUFINUM quendam *Palaestinensem* habere. Num justis de causis, alius videat: namque ad nostram l. l. prolatam sententiam nihil interest, quum *Liber* ille jam ante PELAGII damnationem, adeoque paucis modo annis post Concilium Constantinopolitanum habitum elapsis, confectus perhibeatur. V. FONTAN. p. 414.

INDEX.

Pag.

CAPUT II.

Inquiritur, quali sensu has res dixerint μυστήρια.

SECTIO II.

Μυστήρια in religione Christiana habentur res non intelligendae.

CAPUT I.

Disquisitio, quaenam res in Ecclesia Christiana dictae sint μυστήρια.

CAPUT II.

Inquiritur, quali sensu hae res dictae sint μυστήρια.

PARS III.

Disquiritur, diversitatis quaenam sit origo.

SECTIO I.

Inquiritur, cur μυστήρια in religione Christiana habita sint res abscondendae.

Pag.

SECTIO II.

Inquiritur, cur μυστήρια in religione Christiana habita sint res non intelligendae.

PARS IV.

Inquiritur, quodnam loci in re dogmatica sit pretium.